**Evangelium medici: seu Medicina mystica; : de suspensis naturae legibus, sive de miraculis; reliquisque en tois bibliois memoratis, quae medicae indagini subjici possunt. Ubi perpensis priùs corporum naturâ, sano & morboso corporis humani statu, nec non motûs legibus, rerum status super naturam, praecipuè qui corpus humanum & animam spectant, juxta medicinae principia explicantur. / A Bernardo Connor, M.D. è regia societate Londinensi, nec non è regali medicorum Londinensium collegio.**

### Contributors

Connor, Bernard, 1666?-1698
Wellington, Richard, -1715
Nelme, Henry, active 1696-1697
Briscoe, Samuel, active 1691-1727

### Publication/Creation

Londini : Sumptibus bibliopolarum Richardi Wellinton [sic], in Coemeterio D. Pauli; Henrici Nelme, in loco Royal-Exchange dicto; & Samuelis Briscoe, in loco vulgò dicto Covent-Garden, MDCXCVII. [1697]

### Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/pyektjpg


### License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

L
L
VIII
١٦/٢

L. LVIII
7/c
18585/A/3
C 67
B/
10895

26 C.C. (1)
nd
20211
7/8 2.5.11

20211

# *Evangelium Medici:*

SEU

# MEDICINA MYSTICA;

DE

Suſpenſis Naturæ Legibus,

SIVE

# De MIRACULIS;

Reliquiſque ἐν τοῖς βιβλίοις Memoratis, quæ Medicæ indagini ſubjici poſſunt.

*Ubi perpenſis priùs Corporum Naturâ, ſano & morboſo Corporis Humani Statu, nec non Motûs Legibus, Rerum Status ſuper naturam, præcipuè qui Corpus Humanum & Animam ſpectant, juxta Medicinæ Principia explicantur.*

A BERNARDO CONNOR, M. D. è Regia Societate Londinenſi, nec non è Regali Medicorum Londinenſium Collegio.

*Londini*, Sumptibus Bibliopolarum *Richardi Wellinton*, in Cœmeterio D. Pauli; *Henrici Nelme*, in loco Royal-Exchange dicto, & *Samuelis Briſcoe*, in loco vulgò dicto Covent-Garden, MDCXCVII.

# IMPRIMATUR

Hic liber cui Titulus, *Evangelium Medici*, ſeu *Medicina Myſtica* de ſuſpenſis Naturæ Legibus, &c.

*Tho. Millington*, Præſes,

*Tho, Burwel*
*Rich. Torleſſe*
*Guliel. Dawes*
*Tho. Gill*
} Cenſores.

Datum ex Ædibus Collegii noſtri in Comitiis Cenſoriis nono die Aprilis, 1697.

Honoratissimo Viro

D. CAROLO MONTAGUE,

Fisci Regii

CANCELLARIO,

E Supremis Angliæ Thesaurariis,

Regi à Secretioribus Consiliis,

Nec non Regalis Societatis Londinensis

PRÆSIDI.

*DIvina, Vir Clarissime, cum Humanis, Sacra cum Profanis, Vacillantes Naturæ Vires, & fluxiles Effectus cum Miraculis, & cum Summi Numinis Potentia, juxta Medicinæ Principia,*

*conferre, & collata explicare, arduum nimis, & forſan temerarium pleriſque videbitur. Cùm præcipuè hoc tam ſublime Opus, hoc tam cœleſte Iter à nemine hactenus ſuſceptum fuerit. Mihi ipſi ante Annos quoſdam Effectuum eorum, qui juxta ſimul ac ſupra Naturæ Legcs fiunt,* Cauſas & Modum *fortè contemplanti, viſum eſt,quòd Illi prorſus Operam ludunt qui reconditam Miraculorum Naturam obtuſiori cæcutientis Rationis Acie perluſtrant. Cum reliquis enim omnibus tunc exiſtimavi quòd Effectus, qui ſancitas Naturæ Leges ſuperant, Ingenii quoque Captum excedunt. Cum tamen deinde mecum diutiùs perpenderim, quòd omnes Corporum & Spirituum Effectus, tum illi, qui juxta*

Na-

*Naturæ, vel Motûs Leges peraguntur, tum illi, qui Naturæ conatus exuperant, ab uno eodemque Æternæ Voluntatis Decreto immediatè producuntur; mihi statim proposui per Effectuum Naturalium Cognitionem, ad Effectuum super naturam notitiam, quasi per diversos gradus, paulatim ascendere, & utrosque effectus juxta ejusdem Legis Tenorem in hoc Libro illustrare. Ut autem sub tanti Nominis Auspiciis à mordacis Censuræ aculeis, & malevolorum dicteriis incolumis evadam, Tuæ, Vir Spectatissime, Tutelæ novum hocce Tentamen committere non dubitavi. Cujus enim nomen hujus Operis fronti præfigere magis gestirem, quàm illius quem tam Prudens & Sagax Princeps suo*

*præficere Ærario, & Sanctioribus interesse Consiliis voluit? Cujus Fama decori magis esse potuit & Ornamento, quàm illius, qui Tot Tantorumque Magnatum stirpe est oriundus? Cujus Præsidium ardentiùs exoptarem, quàm illius, quem tanta Literatorum Societas ad omnium vota semel atque iterum elegit Præsidem? Cujus denique judicio præcocem huncce Ingenii mei Partum rudi adeo penicillo delineatum lubentiùs subjicerem emendandum, quàm Illius, cui Judicii in Publicis Rebus Sagacitas, cui Ingenii Perspicacitas, cui notissima Cunctis Merita, tantam per totam Angliam famam, tantam in Senatu authoritatem, tantam apud Regem gratiam & favorem acquisiverunt, quod Re-*

*gi ipsi æquum fore visum est, Te ad Supremos Reipublicæ Honores evehere, ut suis Rebus domi & foris tutiùs consuleret, ut Populi votis responderet, & ut tua merita, collataque in Regnum Beneficia pleniùs compensaret.*

*Spero, Vir Illustrissime, quòd, etiamsi publica Regni Negotia totum Te, quasi continuos inter fluctus, agitatum detineant, Tibi tandem, compositis aliquando tantis Rebus, aut saltem, ad relaxandum Animum, aliquandiu prætermissis, vacabit identidem dicatas Tibi Orbis Literarii Curas & Studia solito genii candore intueri, & admittere, nec non gravioribus subinde Curis interponere. At, si forte incultum hocce meum Opusculum vi-*

*vidiorem Ingenii Tui perſpicaciam ſatiare minùs valeat, meminiſſe ſaltem haud dedigneris, quanto cultu & obſervantiâ hoc qualecunque Munuſculum offert, dicatque,*

Vir Nobiliſſime,

Tibi

*Devotiſſimus,*

Bernardus Connor.

---

EPISTOLA

# EPISTOLA

AD

*Meritissimum suum Amicum*, D. B. M.

EX

Anglico idiomate ab erudito *J. W.* Studios. Oxon. in Latinum conversa, & Præfationis loco hic præfixa.

NOndum ex animo Tibi, Vir Literatissime, penitùs excidisse reor nuperum isthoc Colloquium, quo Tu & Ipse de *Miraculis* disseruimus, & de opinione argutiisque quorundam, qui negant ullo sese pacto concipere, quibus Viribus, quove *Modo* effici possent. Cuncta, quæ congerunt in partes suas, Argumenta frigida nimis, & infirma visa sunt, utpote

quæ

quæ hæc tantùm ſuadere voluerunt, Omnes nimirum Effectus, qui Intellectum Humanum ſuperant, vires utique ſummi Numinis ſuperare; aut ſaltem neceſſum eſſe, ad expugnandos Incredulorum animos, ut Deus non ſolùm *Miracula* coràm edat, ſed eadem etiam efficiendi *Rationem Modumque* patefaciat. Hoc ſumus palam profeſſi, Illos nempe ſtupendos Effectus, quos pro *Miraculis* jure quidem exhibent Sacræ Paginæ, aliquem ſupra ſancitas Naturæ Leges Autorem fateri, ipſamque ſummi Opificis dextram virtutemque depoſcere. Protinùs in noſtram ibant ſententiam, quippe quos hac in parte diutiùs hæſitare meritò puduit. Quamvis autem non potuerunt non perſuaſum habere iſtos hujuſmodi Effectus, quos Hiſtorici ſpectatiſſimæ graviſſimæque fidei narrant, inter *Miracula* jure cenſeri, ac præſtitutas Naturæ vires omninò reſpuere; nè tamen opinioni noſtræ facilè nimis aſſentirentur, ut ipſe mecum paulo diligentius perpenderem, utrum *Modi*, juxta quos *Miracula* Deus efficit, ſub Rationem humanam cadere poſſent, & quis mihi tandem *Modus* vero ſimillimus videretur, ſibi ut exponerem, efflagitabant.

At licèt hoc Opus non ſit Provinciæ meæ, quippe quæ quotidianos tantùm, vulgareſque Naturæ Effectus, ſeu *Medicinam*, complectitur, (quæ profectò quicquid eſt Ingenii vel Otii mihi

pror-

prorſus exhaurit, & ex quâ magis indies perſpicio, gratuſque demiror providam ſummi Numinis Curam) eorum tamen votis morem gerere cupiens, Rem totam mecum expendere, ac, quantum poſſem, enodatam dare pollicebar.

Non equidem tum primum, & hic & alibi gentium eadem hac de re Argumenta audiveram, & Opuſculum quoddam ad hanc rem dilucidandam aliquot abhinc annis inchoaveram. Sin è tenebris ſuis rudiores iſtas, neglectaſque Schedulas non elicuiſſet hæc Diſceptatio, in ſcriniis uſque meis delituiſſent, nec unquam mihi fortaſſis, aut alii cuiquam legenti tædium feciſſent. Cùm autem hoc Operis parùm conſultò in me receperam, viſum eſt Chartulas illas meas incudi denuò tradere, iiſque deinde perlegendas dare, ac Tuo demum & Amicorum quorundam judicio cuncta permittere.

Rationes eas, *Hypotheſeſque*, quas ad expediendos hujuſce rei nodos excogitaveram, & ſibi tunc primum viſas eſſe profeſſi ſunt, & pleriſque pariter inauditas fore crediderunt; & quanquam pro re omni ex parte compertâ non habuerunt, hos nempe *Modos* ipſos eos eſſe juxta quos Deus effecit omnia, quotquot uſquam facta fuerint, Miracula, hoc tamen haud ægrè ſibi perſuadere viſi ſunt, poſſe nimirùm eos, qui Naturam Legeſque Motûs non penitus ignorant, ſtupendos

pendos hos Effectus aliqua ſaltem tenus hinc intelligere.

Cùm verò nonnullos hunc in modum Conſiliii mei participes feciſſim, eſſe ſcilicet in animo mihi aliquam hac de re *Diſſertationem* edere, iidem obnixè rogarunt, ut ſaltem ipſa ſummatim Argumenta, quaſi prælibanda, in manus Hominum darem. Illis autem hoc poſtulantibus ideo minùs obſequi viſum eſt, quod nondum in eundem quæque ordinem digeſſeram, quo fortè tandem Prælo committerem, quodque pro libitu inſerendi quicquam, aut reſecandi jus me penes diutiùs eſſe volui. Cùm verò Tabula quædam Operis minùs conſultò evulgata parum aliis, mihimet autem minimè placuit, & cùm plerique Conjecturis exinde perperam factis neſcio quid ſibi Monſtri præfinxerunt, viſum eſt tandem ipſam totius inſtituti rationem immutare, immutatæque Exemplar paucis hiſce in lucem dare.

Quod itaque, Vir Egregie, molior, hoc eſt. Cuncta *Miracula*, quæ ſacra recenſet Pagina, & quæ ad Corpora, præſertim Humana, ſpectant, per Rationem, Medicinæque, ſeu Naturæ, Principia dilucidare, Intellectuique ſubjicere in me recipio. Contendo autem (ſi modò revera unquam extiterint iſti Effectus, & ſi omnes juxta pariter, atque ſupra Naturæ Leges Effectus præſentem *immediatam*que ſummi Numinis virtutem depoſcant, quod nemo ſanus negaverit,) non magis arduum eſſe conceptu *quo Modo* infi-

nita

nita Numinis Potentia sese Corporibus immiscens *Miracula* efficit, quàm *quo* repetit indies neglecta Naturæ Phænomena. Hinc mihi polliceor persuasos iri illos in Religione nostrâ *Pyrrhones*, *Deistas*, iisque saltem *Miraculis*, quæ commemorant optimæ fidei Autores, protinùs assensuros, cùm non perspicuè minus eadem fieri, quàm stipulam ab igne exuri, posse cognoverint.

Humani Corporis fabricæ totum Opus innititur, cujus singula sæpè Membra Anatomicè perlustravi, eademque porrò ope Chymiæ in Elementa sua primaria, minutasque Particulas sæpè resolvi: non minus enim Constructionem ejus penitiùs eum intueri oportet, qui dilucidare velit stupendas illas, quas præter Naturæ Leges subiit olim, Mutationes, quàm qui istas explicare aggreditur, quas secundum Naturæ Leges quotidiè subit. Ob miseram suam hac in parte Ignorantiam plurimi paucis abhinc sæculis Theologi, qui hujusmodi Effectus susceperunt explicandos, adeò crassas pinguesque nobis *Miraculorum* Ideas effinxerunt; & ipse nonnullos in iis, quas peragravi, regionibus vidi, qui aut quæstu, aut inscitia ducti, minus observata Phænomena, rarioresque Naturalium Causarum Effectus pro Miraculis venditarunt: Hæc aut fraus aut ignorantia primam penè originem *Scepticismo*, *Deismo* vires & incrementum, dedit.

Corporis

Corporis autem Humani fabricâ hunc in modum pro fundamento positâ, variisque ejus Partibus, quantum per ipsos Sensus, Microscopia, Anatomiam, Ignem, aliáque id genus Experimenta potui, perspectis; pergo deinde diversos explicare *Modos*, secundum quos Naturalem ejus Statum præter Naturæ Leges à suprema Numinis Potentiâ mutatum olim fuisse accepimus. Cum enim pro comperto habebam è Materia solâ extructum esse Corpus Humanum, & hanc ipsam Materiam nihil aliud esse quam Particularum quarundam, quæ *Molem*, *Figuram*, & *respectivum* ad se invicem *Situm* habent, arctissimum Nexum & Unionem; omnes porrò Mutationes, quæ præter Naturæ Leges eidem quoad *Molem*, *Figuram*, *Situmve* queant accidere, Intellectui quopue subjici posse illicò mihi persuasi. Antè verò quàm reconditiora hæc Argumenta occipiam, quæ subtiliorem poscunt Indaginem, non abs re fore videtur, *Causam*, *Naturam*, *Legesque Motûs* accuratius exquirere; quippe quòd à solo Motu omnes, qui juxta Naturam, & ab ejusdem *Motûs Legum suspensione* omnes qui præter Naturam fiunt Effectus, seu *Miracula*, causas & ortus habent. *Leges* autem *Motûs* triplici *Modo* suspendi posse contendo; juxta quas *Motûs suspensas Leges* non magis arduum est ipsa *Miracula*, quàm secundum receptas ejusdem *Leges* quotidianos Naturalium Causarum Effectus, explicare.

Quam-

Quamvis autem moneo ad hasce *Motûs suspensas Leges* commodè posse referri omnia, quotquot unquam fuerint, *Miracula*, non est tamen in animo mihi cuncta *Miraculorum* genera considerare, sed ea solùm quæ omnium hactenùs Eruditorum Ingenia maximè torserunt. Cætera verò, quæcunque forsan occurrant, à quopiam acrioris Judicii ad aliquam *Suspensionis* nostræ legem possint aptè referri.

Inter omnes, uti spes est, aliquando tandem constabit, Librum hunc nostrum (etsi de industriâ memet à Sacris Literis & Religione abstineo, utpote à Provinciâ meâ prorsùs alienis) magno usui fore : prout Eruditi nonnulli, cautissimique hac in parte Theologi mihi coram fateri non dubitarunt. Non enim Cogitata hâc de re mea publici juris unquam fecissem, nisi quorundam Amicorum hortatu jussuque, qui Rerum Sacrarum commodo meliùs, quàm ipse poteram, visi sunt providere. Hic etiam libet palam profiteri, me nihil aliud in hac *Dissertatione* moliri, quàm ut exquiram quantum stupendos eos in Corporibus Effectus, qui Naturæ vires superant, per Medicinæ Principia perscrutari possimus, & confirmare. Hoc enim Argumentum & à Theologicis Studiis prorsus alienum est, nec idem, quod sciam, ullus unquam Medicus, nedum Celeberrimus Ille, omnibusque, & Tibi præ cæteris ex affinitate notissimus, *Religionis Medici* Author, attigit. Omnes, uti spe-

ro

ro, quotquot hunc Tractatum perlegerint, me in hoc Opusculo Religioni tantùm & Medicinæ promovendæ operam dedisse pro comperto habebunt; adeò ut abs Te, Amico simul & æquo Rerum æstimatore, hoc gratiæ duplici nomine mihimet ausim polliceri, Te nempe vindicem fore

*Tui*

Lond. Octob. 22. Anno æræ salutis, 1696.

*Cultoris*

*Humilimi,*

B. Connor.

---

Evangelium

# EVANGELIUM MEDICI:
Seu
# Medicina Myſtica,
DE
## Suſpenſis Naturæ Legibus,
Sive
# De Miraculis,
Reliquiſq; ἐν τοῖς Βιβλίοις memoratis, quæ Medicæ indagini ſubjici poſſunt.

---

## ARTIC. I.
*De ſtatu Corporis, præcipue Organici, ſecundum naturam.*

IN primo hujus Operis veſtibulo neceſſe viſum eſt obſervare, quod uti ſupremus Rerum Opifex duas creare dignatus eſt ſubſtantias, *Materiam* nempe

*Artic.* I. Scopus Operis.

*Artic.* 1. Duæ naturæ leges, leges motus & morum.

& *Spiritum*, ſic duas ſancire voluit in Natura *Leges*, quibus effectus earundem peragantur, *Leges* nempe *Motus*, quibus corporum effectus producuntur, & *Leges Morum*, quibus animi affectus & munia reguntur. Hæ autem duæ *Leges*, nullam inter ſe affinitatem, nullum commercium, aut mutuam à ſe habent dependentiam; quia non ſolum diverſis, ſed etiam plane oppoſitis rebus dicatæ ſunt. Medicorum eſt *naturam corporum* atq; *leges motus* illuſtrare, & *Morum Legibus* obtemperare tantum; vel [a] iis *Legibus* quæ nobis à natura ſub *rationis* nomine inſitæ ſunt, vel [b] iis quæ cœlitus nobis ipſis ſunt traditæ, vel per [c] alios nobis inde patefactæ: Divinarum vero rerum Interpretes, non tantum *Morum Legibus* obſequi ipſi, ſed etiam eaſdem aliis [d] inſtillare, & palam promulgare debent. Quoniam autem

[a, b, c, & *reliquæ intermixtæ literæ quæ ad marginem referri deberent, ad notas fini libri appenſas referuntur.*]

autem sancita jam tum [e] *Novæ*, tum [f] *Veteris Legis*, pro regendis moribus decreta, multis confirmata sunt, & quasi sigillata [g] *miraculis*; & quoniam hæcce *Miracula* in solis fere corporibus producta sunt, & in humano præcipue corpore transacta, congruum mihi visum est, juxta *Motus leges*, & juxta *Medicinæ principia*, Miraculorum naturam investigare, ut non tantum veritas Legum Morum atq; æquitas, sed etiam provida summi *Legislatoris* majestas elucescat. Ut autem res tota clarius in lucem prodeat, diversos Corporis Humani status, & motus ipsius naturam prius explorare necessum erit. *Artic.* 1.

De Humano igitur Corpore supra naturæ suæ terminos elato præcipue tractaturus, haud abs re fore existimavi, quidpiam de genuina *Corporis*, præcipue *Organici*, indole obiter prælibare; ut

*Artic.* 1. clarius pateant ea quæ de *miraculoso* ipsius *Statu* dicturus sum. Uti enim necessum est, insitos *Corporum* affectus & proprietates dignoscere, ut proprios & naturales ipsorum effectus concipiamus & explicemus, sic quoq; ut supernaturales *Corporum* status elucidemus, *Corporum* ipsorum natura, quæ utriusq; status est fundamentum, prius erit investiganda.

Etiamsi dubitare nullatenus liceat de vera multarum [h] Rerum, à *corporibus* natura penitus discrepantium, existentia; nihil tamen perspicua concipimus mente, præter *corpora* ipsa, seu *materiam*. Nihil autem per *materiam* exprimimus, nisi substantiam in omnes dimensiones vere extensam, quæ varias habet partes sibi applicatas, & extra se positas; quæ partes, in minores adhuc particulas, & hæ adhuc in

Natura materiæ.

in minores ſine fine dividi poſſunt. Materiei igitur cujuſlibet particulæ in eo conveniunt, quod omnes longæ ſint, latæ, & profundæ; diſcrepant tamen in eo, quod hæ diverſa *mole*, illæ peculiari *figura*, aliæ citatiori *motu* ſint donatæ; & triplici hocce diſcrimine innumera illa tam fluida quam ſolida corpora efformant, ex quibus tota mundi machina compingitur. Unaquæq; autem materiæ particula ita in ſe intime ſolida eſt, ita ſpatium, in quo continetur, mole ſua, etſi exigua, vere replet, ut nullum prorſus aliud corpus in eodem ſimul ſpatio admittere, nec aliud corpus ſolidum ipſa inire, aut penetrare valeat: Unde omnes corporum, & Orbis totius partes contigua quadam vicinia ſibi tantum ſuccedunt, & ſic ſibi appoſitæ in immenſam ſeriem extra ingenii aciem protenduntur.

*Artic.* 1.

Materiæ ſpecies.

Materiaeſt ſolida, unde impenetrabilis.

*Artic.* 1. Tota mundi *materia* in duas *Corporum* ſpecies formata eſt, *Organica* nempe, & *Inorganica*. *Inorganica Corpora ſunt ea quæ moleculis* ſeu integrantibus partibus, nulla textura aut ſtructura diverſis, ſed *homogeneis, & ſibi ubiq; ſimilibus conſtant*. Hujuſmodi Corpora maximam mundi partem conſtituunt; qualia ſunt, Stellæ, Cœli, Planetæ, Aer, Aqua, Terra, Mineralia omnia, Lapides, Sanguis, omnes Humores & Liquores: Omnis enim portio aeris, aquæ, lapidis, ſanguinis, & reliquorum Corporum inorganicorum, eandem habet texturam & indolem, cum tota maſſa aerea, aquea, lapidea, ſanguinea, & totius maſſæ nomine inſignitur.

Quid corpus inorganicum.

Quid Corpus Organicum.

Corpora vero organica ſunt ea, quæ multis diverſæ fabricæ organis totidem quaſi machinulis efformantur, *quæ*, inquam, *conſtantem & peculiarem habent diverſarum*

*verſarum partium ſitum, & diſſimilem cujuſq; partis ſtructuram & uſum.* Hujuſmodi ſunt Vegetantia & Animantia omnia: Quælibet enim Planta multis partibus ſitu, textura, & uſu diſcrepantibus potitur. Alia nempe Arboris pars vocatur radix, alia truncus, medulla alia, alia folia; quibus vegetatio fruticis promovetur. Animantia quoq; omnia multiplici Organorum numero & ſerie, cerebro nempe, corde, pulmonibus, ſtomacho, trunco, artubus, variiſq; id genus partibus gaudent, quibus vitales & animales motus peraguntur. *Artic.* 1.

Hic autem de *occulto* Corporis Humani *ſtatu* tractaturus, non de cœlis, aere, lapidibus, aut aliis mineralibus, non de terra, aqua, aut aliis hujuſmodi *inorganicis* corporibus agam, ſed de iis tantum quæ numeroſo organorum apparatu inſtructa ſunt, uti

*Artic.* 1. Animantia omnia. Præ cæteris autem animantibus de Corpore Humano, mirabili Medicinæ objecto, hic præcipue nobis ſermo eſt inſtituendus. Hic autem Corpus noſtrum non quatenus intra naturæ ſuæ gyrum comprehenditur, nec quatenus Medicinæ contemplandum pro conſervanda aut reſtauranda valetudine ſubjicitur, ſed quatenus ſupra nativum ſtatum elevari poteſt, hic nobis præcipue tractandum eſt.

Tres corporis humani ſtatus.

Inveſtigandum nempe quot & quibus modis genuinus ipſius ſtatus divinitus mutari poteſt: Omnes enim qui hactenus de Corpore humano ſcripſerunt Medici, alii ſtatum ipſius ſecundum naturam, ſeu ſanum; alii ſtatum præter naturam, ſeu morboſum, perquam accurate illuſtrarunt; nulli autem hucuſq; ſtatum ipſius ſuper naturam ſeu miraculoſum,

ſum, perpenderunt, Quare novum atq; arduum nobis tentandum eſt iter, & extra ſolitum Medicinæ ſtadium nonnihil excurrendum eſt. Cum enim affirment omnes, quod præter ſanum & morboſum Corporis noſtri ſtatum, varii fuerint ſtatus ipſius ſuper naturam, & cum nemo hactenus hoſce ſtatus juxta Medicinæ principia illuſtrare tentaverit, operæ pretium mihi viſum eſt, eoſdem, quanta poſſem ſolertia, ad rationis normam reducere; ut illi, qui de hujuſmodi miraculis dubitarunt, eadem concipiant; & illi qui eadem admiſerunt, ratione demum illuſtrata, intenſiori & vividiori fide credant. Ne autem in inſolita hacce & quaſi cœleſti indagine mens noſtra per devia paſſim ſine duce divagetur, *Naturæ* veſtigiis inſiſtendum eſt. Etiamſi enim in illuſtrandis *miraculis* naturæ leges exce- *Artic.* 1.

*Artic.* 1. excedere neceſſum ſit, ab illis tamen recedere non licet; & etiamſi Corporis Humani ſtatus ſuper naturam juxta ſtatutas *motus* leges explicare non valeamus, in illis tamen explicandis inſitos corporum affectus & phænomena perpendere oportebit. Quod ut rite peragamus, naturalis Corporis Humani fabrica, motus, & munia prius erunt obiter prælibanda.

---

ARTIC.

## ARTIC. II.

### *De statu Corporis Humani secundum Naturam.*

HOmo totus ex triplici coalescit substantia, [a] *Spiritu, Corpore*, & *Anima*. Spiritus est pars hominis *cogitans*, quæ vulgo anima rationalis nuncupari solet, etsi nullum animæ ministerium vere exerceat, ut infra patebit. Anima sunt fluida corporis, *Sanguis* nempe ac *Spiritus animales*. Corpus vero ipsum est mira illa ac concatenata partium solidarum seu organorum series & fabrica, quæ *Spiritus* & animæ fulcrum est & domicilium. Spiritus, rationis judex, cum libero agat arbitrio, animæ, quæ necessitate quadam operari cogitur, munia non obit, sed *sensus*

Tres hominis partes.

Spiritus non est anima.

*Artic.* 2. *ſus* duntaxat eſt author, & motus voluntarii arbiter. Anima vero, ſeu humores & liquor nervorum, vitam corporis conſervant, involuntarios nempe cordis & reſpirationis motus ſuo motu producunt. Quibus motibus ceſſantibus, vita corporis extinguitur, moxque recedente ab exanimi cadavere ſpiritu cogitante, hominis natura diſſolvitur. Hic autem de parte hominis cogitante, quæ ſuam ipſius cogitationem & captum ſuperat, & quæ ſenſuum aciem fugit, agere non fert animus, ſed de corpore tantum & anima, quæ rationis non ſolum, verum etiam ſenſuum ſcrutinio magis obvia pateſcunt.

Animæ natura & officium.

Duæ in Humano Corpore obſervari poſſunt partes, *integrantes* nempe, & *elementares*. Partes integrantes ſeu organicæ, ſunt conſpicuæ, aut ſaltem ſenſilis magni-

Corporis humani duæ partes.

magnitudinis, uti cor, hepar, manus, pedes; & Anatomiæ ope structura ipsarum detegitur. Particulæ vero elementares, seu *prima principia*, sunt exilissimæ & insensiles atomi, ex quibus invicem conjunctis, & in debitum situm, texturam, & seriem dispositis, partes *integrantes* construuntur; hujusmodi Elementa non cultri acie, sed ignis tantum Chymici ope extrahuntur. Atomi autem nomine hic nihil aliud intelligi velim, nisi minimam corporis alicujus particulam ab aliis particulis vere divisam, & in se sine fine divisilem. *Artic. 2.*

Si igitur minutissima corporis nostri Principia juxta *Chymiæ* scrutinium perpendamus, totum corpus in quatuor materiæ species, in certam nempe particularum *Terræ* elementaris, *Aquæ*, *Salis*, & *Sulphuris*, proportionem resolvetur. Quæ particulæ Partes Elementares.

*Artic.* 2. culæ variis modis, & in diverſa quantitate ſibi appoſitæ, moleculas diſcrepantis indolis & texturæ efformant. Et hæ moleculæ ſtrictius aut laxius inter ſe aſſociatæ, partes corporis alias fluidas, uti humores, alias ſolidas, uti carnem & oſſa, conſtituunt. *Molecula eſt quævis vel minima mixti alicujus corporis portio, quæ ex quatuor primis principiis coaleſcit.* Sic omnis portio carnis vel ſanguinis, ex terra, aqua, ſale, & ſulphure, conſtat: Ut autem hæ moleculæ ex atomis elementaribus conſtantes ſolidas partes efforment, in tenuiſſima duplicis generis ſtamina abeunt, vaſcula nempe, & vaſculares fibras. Vaſcula ſunt venæ, arteriæ, nervi, lymphæductus, & vaſa glandularum excretoria. Ex his autem ſolis vaſis non coaleſcit totum corpus, ut plurimi voluerunt; ſed & adſunt præterea innumera

Partes Organicæ.

Textura corporis humani.

innumera filamenta cava, seu fibræ vasculares gracillimæ, quæ prout arctiori vel laxiori nexu stringuntur, partes alias aliis solidiores constituent; quemadmodum sunt ossa, cartilagines, ligamenta, membranæ, tendines, musculi, & glandulæ; & hæ fibræ in magna quantitate sibi superpositæ multa strata, & quasi lamellas filamentosas efformant, quæ indies post ortum ab appellente & alente sanguine in longum & latum turgentes, non vero in numero crescentes, eximiam tandem corporis humani molem efformant. *Artic. 2.*

Corpus Humanum in duas adhuc alias partes, solidas nempe & fluidas, seu humores, dividendum est: Solidas partes jam recensuimus. Fluidæ partes sunt *sanguis, lympha, spiritus animales, saliva, mucus narium, fermentum ventriculi & intestinorum,* Partes fluidæ & organicæ.

*Artic.* 2. *rum, bilis, ſuccus pancreaticus, adeps, humores oculorum, lachrymæ, ſemen virile, ovi muliebris latex lymphaticus, humor pericardii, menſtrua, urina, & ſudor.* Omnes autem hi humores præter urinam, menſes, & ſudorem, peculiarem habent uſum in corpore noſtro. Urina vero, menſtrua, ſudor, & fæces, excrementa ſunt foras amandanda. Omnes humores à maſſa ſanguinea tanquam totidem à communi parente fluvio germani rivuli derivantur.

Tres motus ſanguinis.

Maſſa hæc ſanguinis triplici motu, eoque perenni agitatur, fluidi nempe, fermentationis, & circulationis. Tribus hiſce motibus jugiter attenuatur, & principia ejuſdem in tumultuoſo hocce conflictu abſumptis angulis atteruntur; unde indito impetu, & quaſi œſtro percita evolant & diſſipantur; quare perenni egent reparatione, ut exhalantium

um particularum jactura ab ingestis alimentis resarciatur. Plurima igitur diversæ indolis pabula ab animantium & plantarum familiis deprompta deglutiuntur. Hæc alimenta dentibus attrita, & à lingua cum saliva subacta à faucibus per gulam in ventriculum detruduntur; ibidemq; partim à propriis principiis salinis, partim à fermento stomachi lymphatico, partim ab ambientium viscerum calore, partim à jugi diaphragmatis & musculorum abdominis motu compressa & attrita digeruntur, seu per quasdam horas dissolvuntur, donec in fluidum quoddam liquamen, quod *Chymus* vocatur, convertuntur. Hicce Chymus per pylorum à peristaltico ventriculi motu, & ab impulsu diaphragmatis in intestina detruditur, in quibus accedente bilioso & pancreatico succo, necnon oc-

*Artic. 2.*

Digestio & Chylus.

*Artic.* 2. currente fermento à glandulis Peyeri inteſtinalibus eructato ulterius eliquatur & comminuitur. Quare tenuior ipſius & fluidior portio, relictis pone fæcibus per podicem excernendis, à ſitientibus vaſorum lacteorum oſtiolis in cavitatem inteſtinorum hiantibus, ſub *Chyli* nomine, conſiſtentia, & colore albicante lac referens, abſorbetur. Hinc Chylus per meſentericas Aſellii glandulas ad Pecqueti receptaculum cum affluente lympha miſcendus & ulterius diluendus vehitur. Illinc per ductum Thoracicum à rene ſiniſtro ad jugulum uſq; ſupra dorſi vertebras porrectum in ſubclaviam venam ſiniſtram exoneratur. Iſtinc declivi tramite per venam cavam ad cordis ventriculum dextrum tendit, & tanquam rivulus cum toto maſſæ ſanguineæ flumine à toto corpore huc confluente commiſcetur; ubi cum

Chyli proceſſus.

Sanguificatio.

cum eodem subactus, per totum corpus & per exilissimos & anfractuosos partium canaliculos jugiter circulatur; ab inspirato aere rarefactus, intestina principiorum turba fermentescit, & cruoris tandem naturam assumit. Sanguis sic à sanguine elaborratus & confectus, perenni circuitu à corde, tanquam à machina hydraulica ad omnes & singulas corporis partes per arterias propellitur, & à corporis partibus per venas ad cor denuo revertitur, hinc iterum in orbem confestim agitandus. *Artic. 2.*

Hujus sanguinis triplex est usus; præcipuus ut calore suo & variis motibus vitam conservet; tota enim corporis nostri vita in solo sanguine sita est: alter ut ad omnes corporis partes delatus easdem nutriat: tertius demum, ut in variis corporis glandulosis partibus diversos humores multiplici Usus Sanguinis.

*Artic.* 2. tiplici uſui dicatos deponat. Quicquid aliquem humorem à ſanguine ſecernit glandulæ, filtri, coli, vel cribri nomine ſolet appellari. Hujuſmodi glandulas ſeu colatoria per totum corporis noſtri habitum, per internos ejuſdem receſſus, & inter muſculeas carnes, paſſim diſſeminatas reperimus, ut in diſſitis & diverſis hiſce locis varia fluida ab appellente ſanguine tanquam ab inexhauſto fonte colentur.

Circuitus Sanguinis.

Totus igitur purpurei laticis torrens à dextro cordis ventriculo per arteriam pneumonicam ad pulmones propellitur, ibidemq; à ſubeunte & commixto aere rarefactus, & coccineo colore tinctus, ad lævum cordis ventriculum redit; inde mox per aortam ad totum corpus emiſſus protruditur. Ad cerebrum evectus animales ſpiritus, motum & ſenſum corporis partibus largituros in glandu-

loſum

loſum cerebri corticem, & illinc in nerveos tubulos deponit. Ad lymphaticas glandulas appellens, limpidum, pellucidum, balſamicum quendam & coagulari aptum liquorem exonerat, qui *lympha* dicitur, & in propriis lymphæductibus ad cor & ſanguinem uti flumina in mare à quo ſcaturiunt, revertitur. Per glandulas lachrymales lymphaticum quoq; humorem in oculum, ut irrigatus facilius moveatur, expuit. Per glandulas *Membranæ pituitariæ* muco naſum oblinit, ne à pertranſeunte reſpirationis aere exiccatus areſcat. Copioſam ſalivam in buccas diluendis cibis & lubricandis faucibus dicatam mandat. Per glandulas Stomachi, inteſtinorum, & pancreatis lymphaticum quoque ſuccum digerendis dapibus deſtinatum largitur. Lachrymæ, humor narium, ſaliva, fermentum ventri-

*Artic. 2.*

Secretio Animalis.

*Artic.* 2. culi, ſuccus pancreaticus, fermentum inteſtinorum, imo humor pericardii, ejuſdem omnino indolis ſunt cum lympha, & non niſi nomine tantum tenus ab ipſa diſcrepant. Idem ſanguis ad jecur properans ſuccum bilioſum per acinoſas ejuſdem glandulas ad duodenum inteſtinum ſub *fellis* nomine tranſmittit. In renibus copioſum à ſanguine ſerum ſecernitur, ne cruoris principia à luxuriante phlegmate nimis diluantur, aut ne diſſoluta nimis tumultuoſo fermentationis conflictui inepta reddantur. In laxa & flaccescente lienis ſubſtantia motus ſanguinis refrænatur, ne citatiori raptatus curſu citius quam par eſt circulum percurrat. In glandulis cutis milliaribus per totum corporis ambitum ſitis, ſudor & tranſpirationis materia ab affluente ſanguine ſeparatur. In teſtibus filtratur ſperma-

spermaticus succus, quod semen perperam (ut infra patebit) vocitari solet, ut non tantum hominis species propagetur, sed etiam ut robur corpori accersatur, uti vox eunuchorum gracilis, & languidæ eorundem vires satis demonstrant. Sicque sanguine ad omnia corporis colatoria juxta circuitus leges jugiter appellente *Secretio animalis* peragitur. *Artic. 2.*

Sanguis porro ad musculorum fibras accedens, & eorundem tubulos subiens, necnon cum occurrentibus ibidem spiritibus animalibus per appensos nervos affluentibus præter modum rarefactus, vel, ut aiunt, explosus, easdem fibras dilatat, & dilatando abbreviat; & hoc modo motus producitur muscularis. Si musculi sic contracti musculos habeant antagonistas seu oppositos, motus erit voluntatis arbitrio & nutui animæ subjectus; si Muscularis motus.

*Artic.* 2. vero muſculi nullis æquilibrentur antagoniſtis, uti cor, muſculi reſpirationis, & fibræ muſculares œſophagi, ventriculi, & inteſtinorum, motu convellentur involuntario & perenni, qui ex arbitrio animæ neque accelerari, neque retardari, multo minus ſupprimi poterit.

Structura Corporis humani.

Tota igitur humani corporis machina ex plurimis organis, ſeu partibus integrantibus textura diverſis compingitur. Quodlibet organum ex certo & determinato *fibrarum vaſcularium* numero conſtat. Quælibet fibra ex exiliſſimis & viſum fugientibus terreis, aqueis, ſalinis, & ſulphureis diverſæ figuræ particulis, tanquam ex totidem *elementis*, in miras formas, multiplices machinulas, & elateres abeuntibus conſtat. Omnes hæ partes ſolidæ perluente ſanguine, aliiſque fluidis irrigantur. Nativus itaque corporis

corporis humani ſtatus eſt, ut ex ſolidis & fluidis partibus mutuo quodam & officioſo miniſterio ſibi invicem ſubſervientibus, efformetur. Solidæ enim partes ſitu, textura, & uſu diſcrepantes fluidas partes ſeu humores continent, movent, depurant, digerunt, exaltant, fæcibus expurgant, variiſque uſibus idoneos reddunt. Humores viciſſem perenni circuitu eitati & effervescentia partes ſolidas alunt, alimento ipſi reſtaurantur; in diverſis corporis colis utiles & fæculentos ſuccos deponunt, naturales cordis & reſpirationis motus vitam noſtram conſtituentes producunt, & omnia reliqua partium ſolidiorum munia ſuo appulſu & influxu moliuntur, & peragunt.

*Artic. 2.*

Quid ſanitas.

Cæterum, corpus noſtrum non tantum ex ſolidis & fluidis partibus conſtituitur, ſed etiam ex accerſitis indies ab eduliis novarum

Diverſi Corporis Humani affectus.

*Artic.* 2. rum particularum ſtratulis & aggerie, ad eximiam tandem, præfixam tamen, magnitudinem extumeſcit. Progreſſivis aliiſque voluntariis motibus mentis imperio ſubjectis libere movetur. Quinque ſenſuum beneficio externarum rerum imagines & affectus animo per nervos conducit. Internos quoque animi conceptus, linguæ vocem & loquelam modulantis miniſterio, exprimit. Omnes ſuas à natura præſcriptas partes ita ſibi ſemper continuas habet, ut non tantum in unico ſemper reperiatur loco, ſed etiam omnia alia corpora à loco in quo continetur removeat. Quoad ipſius geneſim, maris & fœminæ conjugio generatur. Poſt ortum, animantium & plantarum ſubſtantia paſtum ad præfixum roboris & molis faſtigium paulatim evehitur, donec poſt elapſos plurimos annorum orbes, ſi non morbis

morbis saltem sponte sua, laxata tandem & enervata partium textura, præ vappescente senecta extinguitur. Sed de his omnibus intra quosdam annos fusius agam in duobus Tractatibus quos publici juris facturus sum, unum *De Principiis Medicinæ & Fermentatione*, alterum *De OEconomia Animali*, illum Chymicis, hunc Anatomicis experimentis illustratum. *Artic.* 2.

---

ARTIC.

## ARTIC. III.

### *De Statu Corporis Humani præter Naturam.*

*Artic.* 3. UT Corporis humani ſtatum ſuper naturam rite perpendamus, neceſſe eſt ut non tantum ſtatum ipſius ſanum, ſed etiam morboſum obiter illuſtremus, ut ad miraculorum naturam, cauſas, & effectus tanquam ad inſtituti noſtri ſcopum & metam præſtrato quaſi per diverſos gradus itinere paulatim tandem accedamus. Corporis noſtri ſtatus ſecundum naturam, uti jam innuimus, eſt debita illa partium ſolidiorum & fluidiorum diſpoſitio, qua per mutuum eorundem influxum, & concurſum omnia corporis & animi munia rite peraguntur. Corporis autem ſtatus præter

Quid ſanitas.

Quid morbus.

præter naturam ſeu æger, eſt depravata aut perturbata earundem partium diſpoſitio, qua omnia vel aliqua corporis ſeorſim, aut animi, vel utriuſque ſimul munia læduntur, vel quædam abolentur. Alii enim morbi uſum tantum partium lædunt, uti ophthalmia, podagra: alii uſum earum penitus diruunt, uti *gutta ſerena*, *ſurditas*, *paralyſis*. Quidam morbi totum corpus afficiunt, uti *febres*, *apoplexia*, *epilepſia*, *convulſio*. Quidam corporis tantum partem lædunt, ut Aſthma, colicus dolor, podagra, hydrops abdominis, gonorrhœa. Quidam corpus tantum affligunt, uti paralyſis: alii animam turbant, uti delirium, melancholia, inſomnia. Alii denique corpus & animam cruciant, uti mania, phrenitis, ſoporoſi & hyſterici affectus, dolores omnes, & tormina.

*Artic.* 3.

Sedes morborum.

Pro-

*Artic.* 3. Prolixum nimis hic foret, & procul ab instituto remotum pleniorem morborum historiam tradere, quæ sola in ingenti volumine vix contineri posset. Ne tamen res penitus intacta prætermittatur, morborum omnium sedem & causas contractiori obiter penicillo delineare licebit.

Tres morborum Classes.

Morbi omnes ad tres classes reduci possunt, morbos nempe partium *solidarum*, morbos *fluidarum*, & morbos *utrarumque partium*.

Morbi Chirurgici.

Partes solidæ, ossa nempe & carnes, quinque tantum modis læsi possunt. Vel enim tumore præter modum turgent, vel vulnere inciduntur, vel ulcere aut carie corroduntur, vel a loco removentur, uti in herniis, prolapsu uteri, ani, & ossium dislocationibus; vel à contusione aut fractura dissolvuntur. Hujusmodi partium solidarum seu organorum morbi, etiamsi medicorum

dicorum digni sint consilio, Chirurgorum utplurimum curæ medendi relinquuntur. *Artic.* 3.

Partium vero fluidarum morbi, qui perspicaci medicorum judicio curari debent, alii in massa sanguinea siti sunt; alii in spiritibus animalibus hospitium tenent. Hospites sanguinis affectus ad duas species reduci possunt: vel ad eos qui cruoris massam nimis inspissant, seu quod idem est, ad eos qui motum ipsius tum fermentationis, tum circuitus retardant; & ad eos qui eandem nimis attenuant & dissolvunt, ac utrumque hunc motum nimis accelerant. Longe plures sunt morbi in quibus sanguis crassitie quadam nimis lentescit, quam in quibus ad citatiorem quam par est motum stimulatur. Ad hanc enim ultimam classem solæ Febres aut febriles affectus reduci possunt. Sub priori vero ordine reliqui

Morbi sanguinis.

*Artic.* 3. liqui fere omnes maſſæ ſanguineæ affectus collocari poſſunt. In ſtatu ſanguinis ſpiſſo principia ejuſdem *ſalina* & *ſulphurea* fixa ſunt & craſſa; moleculæ ipſius grandiores ſunt, multo *tartaro* & *ſale acido* fixo aggravatæ; unde torpido quodam & quaſi teſtudineo greſſu circulatur: Et ſic in anguſtis partium canaliculis, & præcipue in tortuoſis glandularum anfractibus, præ lentore nonnunquam retinetur & ſiſtit. Itaq; in curſu ſic impeditus ſanguis, obſtructiones, inflammationes, ſcirrhos, ſarcomata, verrucas, puſtulas, œdemata, impetigines, varioſq; alios tumores, & infarctus tum in viſceribus, tum in habitu corporis juxta partium debilitatem, & peculiarem ipſius intemperiem producet; Corporis atq; animæ munia torpore quodam illaqueata retardabit, & corpus ad exercitium minus agile red-

Sanguis ſpiſſus.

reddet. Hinc ſomnolenti, hebetes, melancholici, hypocondriaci. *Artic.* 3.

Si ſanguis hicce ſpiſſus ſale acido luxuriante nimis fit aliunde aculeatus, non tantum ſegniori circuitu agitabitur & inteſtino motu, ſed etiam ſpiculis ſuis ſalinis hinc inde partium texturam dilaniabit, & in ulcus eliquabit, uti in *Phthiſicis*, *Scrophuloſis*, *Scorbuticis*, *Venereis affectibus*, *in gangrena*, *carie*, *carbone*, *cancro*, aliiſque tumoribus erodentibus, juxta varios ſalſedinis & acrimoniæ gradus videre eſt; in quibus ſanguis ſalinis hujuſmodi aculeis totus echinatus, non tantum molliorum carnium texturam ſtrigilis inſtar paulatim dilacerat, ſed etiam ſolidiorum oſſium fibroſas laminas altius erodit. Salini iidem cuſpides nunc *cephalalgiam*, nunc *cardialgiam*, *colicum* nunc *dolorem*, nunc *nephriticum*, *arthriticum*, Sanguis ſalſus. Dolores unde.

*Artic.* 3. *ticum, rheumaticum,* nunc *pleuriticum,* varioſque id genus atroces dolores & cruciatus aciularum inſtar ſtimulando excitant, corpuſque nonnunquam, ſubſtantiam ipſius abradendo, furtim emaciant. Hujuſmodi autem morbi in partibus ſimul fluidis & ſolidis hoſpitantur.

Morbi ſpirituum.

Qui in ſpiritibus animalibus habitant morbi, alii pariter à ſuppreſſo aut retardato eorundem motu, vel à diminuta copia; alii à devio & effero eorum orgaſmo proveniunt. Ad primam claſſem reducuntur *Catalepſis, Apoplexia, Coma ſomnolentum, Carus, Veternus, Paralyſis, Stupor, Tremor, Laſſitudo, Debilitas, Timor.* Ad ultimum vero ordinem redeunt *Mania, Phrenitis, Delirium, Fatuitas, Melancholia, Vertigo, Convulſio, Motus Convulſivi, Epilepſia,* Hyſterici affectus, *Horror, Rigor, Ira, Dolor.* Uti omnes

nes ſanguinis morbi à cauſis exter- *Artic.* 3.
nis, nempe vel à *nimio cibo aut potu*, vel à *motu præpoſtero* aut *diuturniori quiete*, vel à *ſomno* aut *vigiliis* immoderatis, vel ab aere inſalubri, vel à retentione excrementorum, aut excretione retinendorum, vel denique ab animi pathematis proveniunt; ſic quoque omnes fere *ſpirituum* affectus aut defectus, præter *iram* & *timorem*, à ſanguinis intemperie, tanquam à cauſa continente, utplurimum procedunt. His autem diutius immorari foret potius praxis medicæ fundamentis explicandis inſiſtere, quam propoſiti noſtri ſcopum illuſtrare. Quare relicta hac trita *ſanitatis* & *morborum* indagine, per abruptam & inſolitam viam ad ſtatum Corporis Humani ſuper naturam elati curſum dirigamus.

## ARTIC. IV.

### *De ſtatu Corporis Humani ſuper naturam.*

*Artic.* 4. PRæmiſſo Corporis Humani ſano & morboſo ſtatu, nunc demum exploremus quot & quibus modis idem ſtatus ſuper naturam elevatus eſſe ſupponitur. Nihil enim impedit quominus multa animo concipiamus, quæ ſenſibus percipi non poſſunt, quando ea quæ ſenſibus objiciuntur cum iis quæ ſenſuum aciem fugiunt æquo comparantur judicio. Quidni igitur perpendamus utrum *miracula* quæ circa corpus humanum nobis traduntur, cum corporis humani fabrica & cum ratione conciliari poſſent? Cum enim corpus humanum totum ex materie conflatum

Status ſupernaturalis corporis.

tum ſit, & cum tota hæcce materia ex innumeris particulis à ſe vere diviſis & diverſa mole, ſitu, & figura donatis exurgat; ſtatus ipſius mutari non poteſt aut conſervari ſuper naturam, quin varietur, aut conſervetur moles, ſitus, & figura particularum ejuſdem. Mihi igitur hic ſtatui juxta *Medicinæ fundamenta* indagare, utrum omnes *modi* quibus corporis humani ſtatus, ſeu partium & particularum ejuſdem moles, ſitus, aut figura mutata eſſe ſuper naturam, aut ſupra naturam conſervata eſſe creduntur, ad *rationis normam* & ad quoddam veluti *Syſtema* redigi poſſent. Quare perpenſis primum *motus* natura & legibus, nec non triplici *motus ſuſpenſione*, ſequentia, & plurima alia ſtupenda circa corpus humanum *phænomena*, quæ *miracula* quoq; eſſe fatebor, explicare aggrediar. *Artic.* 4.

*Artic.* 4. Quomodo nempe concipi poteſt quod Corpus humanum ardente igne cinctum non comburatur? Quomodo per mare aut ſuper undas ambulare poterit, nec immergatur? Quomodo ſine alimentis diutiſſime, imo in perpetuum vivere poteſt? Quomodo generari poteſt ex fœmina ſine mare? Quomodo formari poteſt ſine mare & fœmina? Quomodo recens extinctum, imo & ante plura ſæcula in pulverem jamdudum redactum ad vitam revocari poteſt? Quot modis multiplicari non poteſt ipſius præſentia? Ut itaque hæc omnia clarius elucescant, de ſingulis ſeorſim paulo fuſius agendum eſt.

Advertere obiter liceat quod longe alia eſt corporis humani cum tota ſua mole ſpectati natura, ſeu ſtatus, & alia atomorum exilium ex quibus tota ipſius moles coaleſcit. Natura enim cor-

poris

poris humani eſt ut omnes ipſius partes & particulæ in debita ſerie, ordine, poſitura, & ſtructura ſimul cohæreant. Natura vero particularum exiguarum non eſt ut ita in organicam texturam ſint diſpoſitæ, ad omnem enim ſitum & texturam perinde ſe habent; ſed ut extenſa quadam mole, & figura donentur; quibus nullatenus ſpoliari poſſunt. Nulla enim materia, niſi forte poſſet in nihilum redigi, poteſt unquam eſſe ſine aliqua figura & magnitudine. Quare minutiſſimorum elementorum natura everti nunquam poteſt; poteſt tamen dirui corporis humani ſtatus. Partes enim ipſius diſſolvi poſſunt, diſſolutæ poſſunt ulterius dividi, & comminui; poſſunt citatiori motu agitari, vel omni motu deſtitui: Particulæ ipſius proprias figuras exuere, & novas induere poſſunt. Brevi,

*Artic.* 4. Diſcrimen inter mixtum & mixti particulas.

*Artic.* 4. miris & variis modis mutari poteſt corporis humani œconomia; genuinus vero particularum ipſius ſtatus mutari maxime, vel everti penitus nunquam poteſt.

Supremus Rerum Opifex, qui ſolus eſt unica & immediata effectuum omnium cauſa, etiamſi juxta *motus leges*, quas ipſe ſancivit, omnes *naturæ* effectus hactenus utplurimum produxerit, poterit tamen pro arbitrio, vel eaſdem *leges* abolere penitus, vel ſuſpendere aliquamdiu, prout ipſi libitum fuerit; & ſuſpenſis hujuſmodi *legibus*, eoſdem effectus, vel novos creare poterit. Qui effectus ſic creati, quoniam ſupra ſolitum *naturæ* curſum producuntur, *Miracula* rite dicuntur. Sed hæc *miracula* æque facile concipi poterunt mente, & explicari ratione, ac illi effectus qui juxta ſancitas naturæ & motus leges produci paſſim ſolent; quia uterque

Effectus naturales vere ſuper naturales ſunt, & vice verſa.

uterque effectus, & ille qui legi eſt conformis, & alter qui ſuſpenſa lege producitur, ab æquali ipſius voluntate, & æquali voluntatis efficacia unice & immediate dependet. Unde illi effectus, qui vulgo *naturales* dicuntur, æque vere *ſupernaturales* ſunt, ac illi qui ſolent *miracula* vocitari; & viciſſim *miracula* æque corporum, quibus producuntur, conditioni & naturæ conveniunt, ac phænomena, quæ juxta *ſancita naturæ decreta* in ipſis producuntur. Uti in decurſu hujus operis fuſius obſervabimus. Quoniam itaque omnes effectus vel à *vigente*, vel à *ſuſpenſa motus lege* producuntur, de *motus* natura aliquid hic præmittere neceſſum erit, ut effectuum ſuper naturam modus & cauſa clarius innoteſcant. *Artic.* 4.

ARTIC.

## ARTIC. V.

### *De vigentibus motus legibus.*

*Artic.* 5. De Natura Motus.

OMnes naturæ effectus ſolius *motus* miniſterio peraguntur. *Motus* quidem *leges* novimus; quidnam vero ſit motus, aut quænam ſit ipſius cauſa, haud ita perſpicue concipimus. Scimus quod *omnis motus eſt localis*, ſeu quod idem eſt, videmus quod omne corpus motum tranſit ab immobili quodam mundi puncto, quod mente concipimus, ad aliud punctum immobile. Novimus pariter quod corpus motum non à ſeipſo ſed ab alio movetur. Obſervamus quoq; quod corpus ita motum juxta diverſos *motus* gradus, quibus citatur, alia obvia corpora, ſi molis non ſint immenſioris à loco

loco removet, illiſque, uti pyro- *Artic.* 5.
bolus à tormento bellico in murum projectus, motum communicat; & quantum de ſuo motu communicat, tantundem de ipſo deperdit. Quid vero communicat, aut deperdit, non patet. Patet tamen quod nihil ſui tranſmittit, aut deponit. Nihil enim in pyrobolo aut in alio quovis corpore reperitur præter materiam, aut materiæ partes. Nullam autem ſuæ materiæ partem tranſfert: Ejuſdem namq; ponderis eſt ſemper & molis. Imo etiamſi aliquas ſuæ materiæ partes tranſferret, inquirendum ulterius foret, quomodo tranſlatæ partes motum inderent; natura enim ſua indere non poſſunt: Quia in ſe nihil intus habent, aut natura ſua tranſmittere nihil valent præter ſuas particulas. Particulæ autem non ſunt *motus*, neq; natura ſua motu donantur, quia

ad

*Artic.* 5. ad motum & ad quietem perinde ſe habent.

Præterea, ſi unum corpus ſponte ſua, aut inſita quadam virtute aliud corpus movere poſſet, ſeipſum dubio procul natura ſua moveret. Conſentiunt tamen omnes quod nihil poteſt à ſeipſo in motum cieri; ſed quod primus corporum motus fuerit à ſolo Deo inditus; ac proinde ab eodem unice à primordiis rerum hucuſq; in pari quantitate conſervatus. Conſervare autem motum idem eſt ac eundem jugiter reproducere. Quid vero reproducitur adhuc anceps eſt & abditum: Certum tamen quod nihil revera novum creatur, nec aliquid vere diſtinctum à corpore moto, & à ſpacio in quo movetur. Si enim obſervemus æreum centum librarum globum ad unius milliaris diſtantiam à tonante tormento bellico in murum

pari-

pariter aheneum impetu pernicissimo projectum; nihil clara mente concipiemus præter globum, aerem in quo movetur, & murum in quem irruit. Verum quidem est quod comparamus seu colligimus mente punctum in quo corpus moveri incepit, punctum in quo moveri desiit, & omnia puncta, per quæ successive ad motus terminum transiit; ex qua comparatione aliquem *motus* conceptum nobis formamus. Cum autem hicce de motu conceptus penes mentem duntaxat resideat, in se motus nihil revera erit ante intellectus examen existens, sed erit tantum mentalis de moto corpore respectus. Unde etiamsi motus dici quodammodo posset, *transitus corporis a puncto quodam mundi immobili*, quod mente fingimus, *ad aliud punctum immobile*; hicce *transitus* nihil percipitur esse vere

*Artic.* 5.

Motus in se nihil est.

*Artic.* 5. vere diſtinctum ab animo concipiente, ſeu corpus motum cum ſpatio & utroq; *motus* termino comparante. Motus igitur non eſt qualitas ulla, aut ut loquuntur, Entitas, ab uno corpore in aliud corpus tranſiens: Nihil enim præter materiam ſola figura & magnitudine donatam ex ullo corpore in aliud vere tranſmigrare poteſt.

Ex his igitur inferre fas eſt, quod cum motus alicujus corporis in ſe nihil revera ſit, non poterit eſſe vera, efficiens, aut naturalis cauſa cur aliud corpus moveatur, in quod motum corpus irruit; ſed corpus motum ſeu appellens eſt tantum *occaſio*, cur quietum corpus juxta ſtatutas motus leges à ſupremo motus Authore moveatur. Quare etiamſi vulgo exiſtimemus quod corpora omnia à ſe invicem moventur, à Deo tamen ſolo vere, immediate & unice

unice moventur. Moventur tamen juxta leges ab ipſo ſtabilitas. Nempe quod unum corpus non tantum ex occaſione motus alterius corporis appellentis & irruentis moveatur, ſed etiam juxta diverſas utriuſq; corporis conditiones, diverſis motus ſpeciebus, nempe vel *fermentationis*, vel *fluidi*, vel *tranſlationis*, vel *circulationis*, vel aliis id genus motibus citetur. Medicorum igitur eſt *Chymiæ* & *Anatomiæ* ope diverſas corporum conditiones, partium nempe figuram, molem, ſitum, & texturam inveſtigare, ut diverſas motuum occaſiones & ſpecies, nec non effectuum differentias explicent; etiamſi motus ipſius naturam, divinam nempe voluntatem, explicare non valeant. Innumeris enim jam compertum eſt experimentis, quod unum corpus, etiamſi eodem motus

*Artic.* 5. Motus diverſi à diverſis corporum motorum conditionibus.

*Artic.* 5. tus gradu raptetur ac aliud, juxta diverſam tamen molem & texturam, longe diverſum ab alio corpore effectum producet. Imo etiamſi ſimilis foret textura, par motus gradus, & æqualis utriuſq; corporis magnitudo, ſi tamen figura diſcrepent, diverſos quoq; effectus elicient & operabuntur. Uti in mixtorum corporum Elementis, *Terra*, *Aqua*, *Sale*, & *Sulphure*, videre eſt. Particula enim *Aquæ*, quæ ovalis ſupponi poteſt, longe aliam ſenſationem in nerveis linguæ papillis excitat, ac particula ſalis, quæ ſpiculis, & quaſi prominentibus acutis monticulis hiſpida eſt. Obtuſa quippe Aquæ corpuſcula nullam vim exerunt, nullo ſapore ſunt ſenſilia. Aſperæ autem ſalis particulæ quodam acrimoniæ ſenſu nerveas linguæ lanugines non tanum leniter titillant, ſed etiam acriter vi non-

nunquam

nunquam caustica mordent. Plicatiles pariter & teretes sulphuris villi longe aliam à scabris, porosis & insulsis terræ particulis saporem inducunt. Facilius longe est corpus nostrum acuto gladii mucrone quam obtuso ferri extremo perfodere. Non satis itaq; est dixisse, quod omnes corporum effectus à motu eorundem peraguntur, sed sagaciori ulterius indagine corporum figuram & molem perspicaces debent medici investigare, ut *modus*, quo effectus eorundem producuntur, altius pelluceat. *Artic.* 5.

Cum igitur *motus* sit effectuum omnium causa unica, & motus unice & immediate à solo Deo procedat, *Deus* erit unica & immediata effectuum omnium causa. Ac proinde materia, materiæ figura, & moles, quæ vulgo *naturales*, seu *secundæ causæ* vocantur, veræ causæ non sunt; Nullæ sunt veræ causæ naturales.

*Artic.* 5. ſed tantum *paſſiva quædam*, apta tamen *inſtrumenta* & *occaſiones*, quæ ſummum Opificem ad producendos, quibus deſtinata ſunt, effectus determinant. Uti lutum, cæcis oculis applicatum, non eſt cauſa, ſed tantum occaſio, cur *cæcitatis* cauſa à ſupremo luminis Authore tollatur.

Hactenus itaq; obſervavimus, quod etiamſi Deus, non tantum primus ſit, ſed & unicus corporum *motor*, & quamvis naturales omnes corporum effectus ſolus operetur, mutuo tamen corporum concurſu & conflictu utitur, ut hoſce effectus juxta *motus leges* æterno liberæ voluntatis decreto ſancitas producat. Nunc autem ſolerti diſquiramus ſcrutinio, utrum eadem *immenſa Poteſtas* varios in corporibus effectus ſine ullo corporum ipſorum concurſu, ſine

ulla

ulla motus lege, & ſine ullo prorſus naturæ auxilio, miro quodam & ſtupendo modo producere valeat. *Artic. 5.*

---

E 2 ARTIC.

---

## ARTIC. VI.

### *De suspensis motus Legibus.*

*Artic. 6.* ETiamsi ostenderim quod, juxta stabilitas jam *motus leges*, Deus ex occasione motus unius corporis, aliud corpus constanter ipse moveat; videamus tamen, utrum semper unum corpus ex occasione motus alterius corporis irruentis movere teneatur; vel, utrum unum corpus sine occasione motus alterius in motum ciere valeat. Durum fore videtur, quod supremus Legislator suis legibus quas ex immenso liberæ voluntatis arbitrio ante primordia rerum condidit, ita obstringatur, ut nihil præstare posset, nisi juxta regulas quas ipse rebus præscripsit; cum penes omnes hominum, nullius imperio

Leges naturæ suspendi possunt.

perio ſubditorum, ſocietates, libera relicta ſit poteſtas, ut, pro ſecurâ perſonarum & rerum tutela, leges ſolemni decreto non tantum ſanciant, ſed etiam, ut ſancitas, prout neceſſitas poſtularet, pleno ſenatu abolere valeant penitus, vel ſuſpendere aliquandiu. Nemo itaque audebit aſſerere, quod minor erit ſummi Numinis quam hominum tum in condendis tum in ſuſpendendis legibus poteſtas & prærogativa. Quare dubitare nullatenus licet, quin leges *motus*, quas libere ſancivit, pro arbitrio ſuſpendere poterit. Statuta autem ſemel legum motus ſuppreſſione, æque clare concipi poterunt, & explicari *miracula*, ac communes naturæ effectus, & *apparentiæ*, quæ vigentibus motus legibus per totam nunc mundi machinam paſſim producuntur. *Artic. 6.*

*Artic. 6.* Duo motus.

Obſervare itaque prius opus eſt, quod, uti duæ ſunt corporum ſpecies, ſolida nempe & fluida; ſic duplex erit eorundem motus; motus nempe totius corporis, & motus inſenſibilium particularum ipſius. Corpora ſolida partes habent arcto ſibi vinculo ita cohærentes, ut moveri non poſſint niſi motu totius, uti lapis vel lignum. Fluidi vero corporis partes ita diſjunctæ ſunt, ut non tantum communi totius mixti motu moveantur, ſed etiam ſingulæ minutiſſimæ particulæ motu proprio & inteſtino circa axem à permeante rapidiſſimo *æthere* turbinatim rotentur: quæ rotatio fluiditatem conſervat, uti in aere, fluminibus, mari, & in omnibus liquoribus videre eſt. Si autem hæc rotatio ſenſibus non percipiatur, uti in aqua in quieſcente cyatho contenta, *fluidi motus* proprie vocatur; ſi vero

Motus ſolidi.

Motus fluidi.

ro ſenſilis ſit, & cum ſpumoſo quodam æſtu, aut effervescentia ſine igne aut aliqua alia cauſa manifeſta turgeſcat, fermentatio rite nuncupatur. Uti in *aqua forti* cum argento, aut cum oleo ſeu ſale *tartari* eliquato, rareſcente & fermenteſcente cernimus.

*Artic. 6.* Quid fermentatio.

His ita præmiſſis, nunc demum ſedulo exploremus, utrum humana mente concipi poteſt *modus* quo *miracula* produci poſſunt. Creditur vulgo, quod quoniam *miracula* ſunt effectus qui *naturæ leges* excedunt, ingenii quoque captum ſuperant: unde miraculorum interpretes ad ſupremam numinis poteſtatem cœca mente recurrere ſolent. Dicunt enim, & merito quidem, quod Deus omnia præſtare poteſt, quæ ſibi aut rationi repugnare non videntur: Miracula igitur, inquiunt, etiamſi ratio-

Modus miraculorum inquirendus.

*Artic. 6.* nis indaginem fugiant, rationi tamen non contradicunt, ac proinde Deus eadem, quoties ipsi lubebit, operari poterit. Verum hoc animum veritatis avidum non satiabit. Nemo enim non videt, quod supremum & absolutum est summi numinis imperium in omnia corpora, & in reliquas, quas ipse creavit, substantias; ipsius nutui subjiciuntur; à sola ipsius voluntate dependent, & conservantur; & in omnem statum elevari, aut mutari possunt, qui ipsorum naturæ non refragatur. Scimus quoque, & probavimus supra, quod non tantum *miracula* omnia, sed etiam solita, & communia naturæ phænomena, à Deo unice & immediate producuntur. Non satis igitur est dixisse, Deum esse unicum rerum omnium, & effectuum, tum naturalium, tum supernaturalium, autho-

authorem & cauſam, ſed ulterius inquirendum, *quomodo* immenſa ipſius potentia corporibus aut rebus in quibus hujuſmodi effectus producit, vere applicatur. Jam poſuimus quod omnes naturæ effectus juxta ſtatutas *motus* leges peraguntur; & Philoſophi hujuſmodi *motus leges* ad certas claſſes, & ad quoddam veluti Syſtema reduxerunt, ut naturæ phænomena clare & perſpicue explicent. Præcipuæ autem *motus leges* hæ vulgo recenſentur. *Artic. 6.*

Tres motus leges.

1. *Corpus quod movetur ab alio corpore movetur.*

2. *Corpus in motu poſitum motum obviis corporibus, ſi molis non ſint ingentis, communicat.*

3. *Corpus in motu poſitum, in motu ſemper perſiſtit, donec motum alteri corpori communicat.*

Ex

*Artic. 6.*

Ex tribus hiſce *motus legibus*, variæ aliæ *leges* deduci ſolent, ut naturales Corporum effectus clarius illuſtrentur. *Communia* igitur *naturæ phænomena ſunt effectus vigente motus lege producti.* Ego autem Corporis Humani *Status ſuper naturam* hic explicaturus, ad aliam longe cauſam recurram, quam ad ſancitas naturæ leges, neceſſe eſt. Miracula enim nullo naturæ miniſterio, nulla motus lege producuntur. Ut autem miraculoſi effectus clarius elucescant, ſagaciori trutina perpendendum eſt, quænam vere ſit *miraculi* natura.

Quid miraculum.

Quidam dicunt quod *miraculum eſt ſtupendus effectus qui ſenſus percellit & ingenii captum excedit.* Verum quam multi ſunt naturæ effectus qui ſenſuum aciem & rationis indaginem ſuperant? Quid ſtupendius ortu & occaſu aſtro-

ut

rum, vel, ut malunt, Telluris? Quid æstu maris? Quid vegetantium germine? Animantium genesi? Motu musculari? Aquarum stygiarum effervescentia? Quid mira & constanti temporum vicissitudine? Quid materno Brutorum in pascenda prole amore & industria? Quid sæviente morborum cohorte? Quid innumeris aliis abditis naturæ arcanis admiratione dignius? Nihil enim verius unquam dici potuerit, quam quod *Ἐν πᾶσι τοῖς φυσικοῖς ἐστί τι θαυμαστόν.* Si itaque allata hæc *miraculi* descriptio vera esset, omnes naturæ effectus continua forent miraculorum series & catena. Quare non sat est dixisse miraculum esse stupendum effectum, sed ulterius natura ipsius indaganda est, & ratio, cur tanto stupore hominum census percellat, plurimi enim sunt *stupendi effectus* qui sacro *miraculi* nomine insigniri non merentur. *Artic. 6.*

Affir-

*Artic. 6.* Vulgaris miraculi definitio.

Affirmant alii quod *miraculum est ſupernaturalis effectus ex peculiari Dei mandato productus.* Verum hæc quoq; definitio omnibus naturæ effectibus competit. Adverti enim hic ſuperius quod omnia phænomena ſeu communes corporum effectus ſupernaturales vere ſunt, ſeu à Dei influxu unice & immediate dependentes. Omnes enim naturæ effectus ſolo motus miniſterio perficiuntur: Motus autem non à rebus ipſis motis, ſed à ſuprema numinis voluntate vere & unice procedit; ac proinde motus hujuſce effectus cum non à corporum motorum natura, ſed à ſuprema poteſtate producuntur, *ſupernaturales* dici rite merentur; quoniam naturæ vires æque vere excedunt, ac illi effectus qui vera miracula vulgo vocitari ſolent. Unde hæc pariter *miraculi* notitia naturam illius nondum clare demonſtrat.

Ut

Ut igitur genuinam *Miraculi* indolem quanta poſſum perſpicuitate detegam, obſervare opus eſt, quod etiamſi vera *Miracula* & communia naturæ *phænomena* in hoc conveniant, quod utraq; ſupernaturalia dici quodammodo poſſent, ſeu à ſupremi Numinis nutu & imperio unice & æquali modo dependentia; illud tamen intereſt diſcrimen, quod ſolita naturæ *phænomena* juxta corporum conditiones & ſtatutas *Motus leges* producantur; *Miracula* vero à nulla corporum conditione, naturæ auxilio, aut Motus lege dependent; ſed per diverſas longe, imo plane oppoſitas *Naturæ legibus* vias peraguntur. Unde quicquid de *Naturæ Effectibus* dici ſolet, contrarium de *Miraculis* dicendum eſt; ac proinde quoniam diximus quod *phænomenon* naturale *vigente Motus lege* producitur; ſic *Miraculum* *Artic. 6.*

*Artic. 6.* Vera miraculi natura.

*raculum* feriante eadem lege producendum eſt. Miraculum igitur recte definiri poteſt *effectus ſuſpenſa Naturæ*, ſeu motus *lege productus*. Suſpendi autem non poſſunt leges niſi ab eodem qui *Leges* condidit. Cum igitur *Motus Leges* à ſolo Deo ſancitæ ſint, non niſi à ſolo Deo ſuſpendi aut aboleri poſſunt; ac proinde [a] Deus ſolus poterit Miracula operari, aut ſaltem [b] aliis operandi poteſtatem ſolus concedere potis erit. Concedere autem poteſtatem aliis, eſt iiſdem ſuæ voluntatis miniſtris vim infundere, cujus ſolius ope deſtinatos hujuſinodi effectus in peculiarem quendam finem producunt. Hæcce autem *virtus infuſa* nihil vere concipitur eſſe, niſi *divina voluntas* perſonis, quæ *Miracula* operari creduntur, & corporibus, in quibus *Miracula* producuntur, efficacius applicata; quæ hujuſmodi

modi personis utitur tanquam totidem instrumentis, ut de creta sua patefaciat. Unde quoniam hæc [c] instrumenta, uti manus calamum movet, vel pes ligonem adigit, Deus applicat, ipse solus vere *Miracula* operatur; quia sola ipsius potentia per applicata hujusmodi instrumenta in corpora, in quibus miracula producuntur, transmittitur. *Artic. 6.*

Non satis autem est asseruisse quod miracula omnia post suspensas *Motus Leges* producuntur, sed inquirendum ulterius quot modis eædem leges suspendi possunt; & quomodo iisdem suspensis stupendi hujusmodi & miri effectus sequuntur. Uti enim ad varias *legum Motus* classes omnia naturæ phænomena reducuntur, ita sub certis suspensarum Motus legum capitibus miracula omnia non tantum locari, sed etiam clara mente con-

*Artic.* 6. concipi, & explicari poſſunt. Atq; ita, uti tres jam ſtatuimus præcipuas motus leges, ſic tribus modis eædem leges ſuſpendi poſſunt.

Vel enim,

Tres motus legum ſuſpenſiones.

1. *Corpus moveri poterit ſine occaſione motus alterius corporis irruentis.*

Vel,

2. *Data Corporis irruentis occaſione Corpus poterit non moveri.*

Vel,

3. *Corpus in motu poſitum, motum ſubito deperdere poterit, non communicato eodem alteri corpori ambienti.*

Hiſce tribus legum motus ſuſpenſionibus omnes corporum

*ſtatus*

*status super naturam* explicari facile possunt. Non dico tamen quod hac legum æternarum dispensatione ita clare & perspicue *miraculorum* natura innotescat,& stabiliatur,ut alius forsan ab acutioris ingenii viris excogitari non posset eorundem producendorum *modus*. Sed affirmo tantum, quod *miracula* per *suspensas* has *Motus leges* æque perspicue solvi possunt, ac communia naturæ phænomena per sancitas Motus leges, in vigore persistentes, vulgo explicari solent. Uti enim unum naturæ *phænomenon* in se magis difficile non est quam aliud, ita unum quoq; *Miraculum* non est magis stupendum, nec in se vere magis difficile, quam aliud; quia æque facile potest suspendi una lex motus ac alia; & *Miraculum* non nisi suppressa una vel altera motus lege unquam produci potest. *Artic. 6.*

*Artic. 6.* Animadversio.

Meum autem non est hic probare, quod unquam fuerint *Miracula* à Deo producta. Sed ego tantum *Miracula* quæ ex longa argumentorum serie, & fido Scriptorum testimonio à mysticarum rerum interpretibus vera esse supponuntur, juxta suspensas *Motus leges* illustrare conabor. Non dico tamen quod *legis Motus* suspensio natura sua *miraculum* operetur, sed dico tantum quod posita semel *legis Motus suppressione* miraculum sponte sua sequitur. Advertendum autem quod aliud longe est *Motum* ipsum, & aliud *Motus Legem* suspendere. Lex enim Motus suspendi potest, etiamsi Motus ipse in vigore persistat, uti contingeret, si forte corpus humanum in ardente igne positum non comburatur: & vicissim *Lex Motus* suspendi potest in corporibus, in quibus nul-

lus

lus adhuc productus est Motus, uti [c] in primo corporum Motu à *supremo Motore* sine occasione Motus aliorum corporum producto videre est. Ut autem hæc omnia clarius elucescant de *triplici Motus legum suspensione* sigillatim & paulo altius agendum est. *Artic. 6.*

---

## ARTIC. VI.

*De Prima Motus lege suspensa. Ubi ostenditur quod* Corpus moveri poterit sine occasione motus alterius corporis irruentis.

*Artic. 7.* TOtus hujus operis cardo circa hanc unam volvitur hypothesim, nempe quod *Leges motus a summo Legislatore conditæ ab eodem suspendi possunt.* Quare plane sequitur quod etiamsi corpora ex occasione motus aliorum corporum impellentium moveri soleant, sine ullo tamen hujusmodi impulsu aut conflictu moveri poterunt. Tribus autem modis corpus hoc modo in motum cieri poterit: Vel enim corpus motu sui totius uniformi & cum tota sua mole movetur; vel

Tres modi primæ suspensionis.

vel singulæ minutissimæ ejusdem particulæ non tantum communi totius, sed etiam proprio motu agitantur; vel singulæ exilissimæ particulæ non tantum moventur, sed etiam figuras deponunt, & novæ figuræ illis insculpuntur. *Artic. 7.*

Juxta *primum movendi modum* plane concipi potest quomodo aspectabilis hæcce mundi *Materia* in tam diversas partes, in tam miras formas, in tam dissitos [a] orbes, & [b] vortices primitus disposita est & coagmentata. Hoc pariter modo omnes mundi partes denuo dissolvi, situm mutare, invicem confundi, & in pristinum *Chaos* reduci, urbes condi, conditæ everti, montes transferri, poterunt. Corpus quodvis per aerem ad Americam ferri, ad [c] cœlum elevari, aut ad alia quævis remotissima loca sine ullo alio impellente corpore transportari poterit. Tota Primus movendi modus.

*Artic.* 7. terrei vorticis [d] compages inteſtinis motibus convelli & ſuccuti poterit. Poſſunt [e] maria removeri, ita ut pedeſtri exercitui ab Anglia in Galliam per medium Oceanum pateat ſemita. Aqua [f] *abyſſi* intra nuclei terrei repagula incluſæ laxatis hinc inde clauſtris in altum ad Terræ marginem evehi, & Terræ ſuperficiem ſi non fortaſſe totam ſimul, ſaltem ſucceſſive, *diluvio* quodam inundare poteſt. Eadem [g] aqua ſub vaporum forma expanſa, in tanta copia incumbenti aeri immiſceri poteſt, ut denſa caligine noctis tenebras imitante ſolis radios tranſmittere non valeat.

Secundus movendi modus.

Juxta *ſecundum movendi modum* exigua omnium corporum elementa diſſolvi poſſunt, diſſoluta dividi ulterius, diviſa per totum mundum diſſipari, & diſſipata demum in unum [h] cumulum

lum iterum coacervari, per exi- *Artic. 7.*
lissimos omnium corporum poros [i] transmitti; brevi, omnium corporum partes, & particulæ, situm & texturam mutare possunt. Hinc patet quod homo quivis, qui [k] ante biduum vel triduum ex motus intestini in fluidis corporis defectu mortuus est, restaurato principiorum sanguinis motu ad vitam revocari poterit. Hoc etiam modo [l] morbi subito curari, vel subito infestare poterunt. Materia enim morbida in toto sanguine vel in aliqua corporis parte latitans subito auferri potest, vel intus corrigi. Atque ita materia quævis, corneam, nervos opticos, auditorios, linguales, cutaneos, vel alios corporis nervos infarciens, & paralysim producens subito abripi potest. Sicque [m] cœci videre, [n] surdi audire, [o] muti loqui, [p] paralytici sentire, & [q] clau-

*Artic.* 7. di ambulare poterunt. Vel hujusmodi nervorum canaliculi aliena materia infarciri & obturari possunt, unde [r] homines surdi, muti, cœci, paralytici evadere, & usu membrorum privari possunt.

Nec tantum peculiares corporis partes morbis curari & iisdem subito affici & cruciari poterunt, sed etiam totum corpus, & tota sanguinis massa subito corrumpi, & inquinari poterit. Non opus autem est novam ullam aut heterogeneam materiam sanguini addere, ut morbi in eodem producantur; sed sufficit latentes morborum fomites, salina nempe ipsius principia suscitare, & in novas figuras eadem formare, ut [s] *pestes*, febres, [t] *lepra*, scabies, & varii istiusmodi affectus sequantur. Possunt enim salia acria intra purpurei laticis compagem, & intra sulphurea ejusdem involucra

lucra irretita exaltari & iiſdem to- *Artic. 7.*
tus ſanguis aculeari: unde ſanguis auſterus vel acris evadet. Eadem pariter ſalina principia acuta ſpicula poſſunt & acrimoniam deponere, vel intra texturam ſanguinis abſcondi & involvi, ut ſanguinem ſalſo ſuo acore non inficiant. Unde memoratis jam morbis & ſymptomatis homo poteſt *ex eadem lege* curari. Poteſt quoque ſanguis ab atroci dolore agitari maxime, atque rarefieri, & ita demum attenuari, ut per totum corporis habitum, & per hiantes cutis porulos ſub *cruenti* u *ſudoris* forma transudare valeat. Nec hoc ita mirum videbitur, cum in *Praxi medica* frequenter obſervemus, quod urina per ſtomachum in *obſtructionibus renum* viam ſibi pandat, quod ſanguis per glandulas inteſtinales in *fluxu hepatico* & in *dyſenteria*, per glandulas renum in

Sudor ſanguineus.

*Artic.* 7. in *mictu sanguineo*, per membranam pituitariam in *hæmorrhagia* naris, per podicem in *hæmorrhoidibus*, per pulmones in *sputo* & *tussi* cruentis, per uteri tunicas in *fluxu menstruorum*, per veretrum in æstuosa & præfervida *tentigine*, per ventriculi membranas in *vomitu sanguinis*, ab apertis vasculorum sanguiferorum osculis eructetur. Quidni igitur sanguis rarefactus maxime per milliares cutis glandulas, & bibulos ejusdem porulos, sine ullo prorsus *miraculo* transire valeat. Innumeri enim pilosarum arteriolarum surculi ad summam cutem propagati sunt; unde sanguis ab extremis horum vasculorum ostiolis ibidem exputus, si aliunde subtilior factus maxime sit, per apertos *epidermatis* porulos foras fluitabit.

Tertius movendi modus.

Juxta *tertium* denique *movendi modum*, omnia cujuscunque naturæ

turæ corpora in alia quævis corpora transformari possunt. Quod ut rite percipiamus, observare opus est, quod *particulæ unius corporis non discrepant ullatenus a particulis alterius cujusvis, nisi quoad molem, texturam, figuram & proportionem*; ita ut si elementares partes ex quibus lignum constat induerent figuras particularum aquæ figuris similes, servata pari proportione, lignum statim in aquam converteretur. Dubitandum autem non est quin tanta sit supremi Numinis potestas ut cuilibet vel minimæ materiæ particulæ omnes figurarum species vel excavando insculperet, vel incudendo imprimeret. Unde triangulus in cubum, cubus in conum formari, conus in rhomboeidem figuram, Rhomboeides in trapeziam, sphæricam, cylindricam, pyramidalem, stelliformem, fusiformem, ovalem, anguillarem, &

*Artic.* 7.

Quælibet materiæ figura in omnes alias figuras mutari potest.

*Artic.* 7. & reliquas id genus figuras transmutari possunt. Nec tantum innumeras figuras assumere possunt corporis alicujus particulæ, sed etiam innumeris modis sibi apponi & applicari possunt; quæ diversa particularum applicatio diversas texturas efformare apta est, & corpora diversæ naturæ & effectus constituere. Uti videmus quod aqua ex eodem fonte exhausta, & per hortum pro irrigandis plantarum radicibus aspersa, in mille diversæ indolis fructus abit. Quidam enim fructus sapore acerbo, quidam dulci, alii austero, amaro alii, hi acido, illi mordaci, juxta diversam pororum fruticis texturam, linguæ papillas titillant, vel pungunt; etiamsi omnes ex uno eodemque latice fuerint saturati. Cum igitur juxta *statutas motus leges*, aqua sponte sua in varias formas convertatur, haud erit con-

conceptu difficile, quomodo supremus motor, sine ulla motus lege, aut corporum ipsorum auxilio, corpora omnia in omnes, in quas ipsi lubet figuras & texturas transmutare valeat. *Artic. 7.*

Ex his igitur inferre datur quod quævis portio, imo particula Aeris, Aquæ, Terræ, vel alterius *simplicis*, aut *mixti corporis*, multas & dissimiles figuras assumere potest; aliæ enim particulæ salinis cuspidibus acuminari, aliæ in sulphureos & lubricos villos excudi, aliæ in scabras & porosas terræ figuras excavari, aliæ in læves & ovales aquæ formas tornari possunt, & juxta diversam eorundem proportionem & contextum in x *vinum*, in y *sanguinem*, in z *panem*, in 1 *oleum*, in 2 *serpentem*, in 3 *pediculos*, in 4 *humanum corpus*, *corpus humanum* in 5 *salem*, & in innumeras alias formas, eversa figura,

*Artic.* 7. gura, & mole, ſine fine tranſmutari poterunt. Nec hoc ita ſtupendum cuiquam videbitur, qui advertet quod caro, panis, fructus, radices, & alia edulia ſolidiora in ventriculum ingeſta, trium horarum ſpacio in fluxilem quoddam, & albicans liquamen, quod *chylus* nuncupatur, reſolvuntur; chylus in ſanguinem, ſanguis in carnem, oſſa, reliquamq; corporis noſtri ſubſtantiam quotidie convertuntur. Nec tantum tota alimentorum maſſa, ſed etiam minutiſſima eorundem elementa figuras deponunt. Vinum enim, cereviſia, hydromel, & reliqua potulenta, panis, herbæ, fructus omnes, ſaccarum, ſal, acetum, aromata, & reliqua fere quæ deglutimus pabula, præter animalium carnes, copioſo ſale acido luxuriant. Hic autem ſal *Acidus* ita diſtringitur, & ita mutatur ipſius figu-

Converſio unius ſubſtantiæ in aliam ſecundum naturam.

Alimenta acido redundant.

ra,

ra, ut totus fere in sal *Alkali* convertatur in stomacho & in sanguine; ita ut si centies laudabilis sani hominis sanguis destilletur, ne guttulam quidem salis *acidi*, copiosum tamen salem *alkalinum* largietur; etiamsi ex omnibus alimentis solæ fere carnes, sale *alkalino* fuerint impregnatæ, & in reliquis cibis sal *acidus* prædominium exerceat. Præterea *Spiritus Vini*, *Cornu Cervi*, *Salis Armoniaci*, *Aqua Fortis*, *Spiritus Vitrioli*, *Sulphuris*, *Salis*, *Aluminis*, *& reliqui omnes Liquores Salini*, *& Sulphurei*, repetitis sæpius destillationibus acrimoniam exuunt, & in aquam insulsam convertuntur. Aqua ipsa, uti mihi hic *Londini* bona fide asseruit, & ipse primus expertus est, vir egregius amicus meus *Edmundus Dickenson*, M. D. (& uti post illum denotat Cl. *Robertus Boyle*,) lenis-

*Artic.* 7.

Aqua in terram conversa.

*Artic.* 7. leniſſima per triennium ſuper ignem in vaſis vitreis ſtrictiſſime occluſis deſtillatione, in *Terram elementarem* ſervato fere eodem pondere tranſmutatur. Cum itaq; tot tantæq; corporum, & particularum mutationes juxta ſtatutam motus legem præ oculis quotidie peragantur, non mirum erit quod ſuſpenſa hac lege, & agente ſuprema *Numinis* poteſtate, nativus corporum ſtatus mille modis variari poteſt.

---

## ARTIC. VIII.

*De secunda Motûs Lege suspensa, ubi probatur quòd data Corporis irruentis Occasione Corpus poterit non moveri.*

UTi jam supposuimus, quòd *Corpus* poterit moveri sine occasione motûs alterius Corporis impellentis, sic quoque pari ratione supponere licet, Quòd *Corpus poterit non moveri etiamsi pernicissimo Corporis irruentis impetu impellatur*; unde planè sequitur, quod etiamsi centum librarum *pyrobolus* ex tormento bellico impetu rapidissimo explosus projiciatur in meum vel aliud quodvis Corpus, ipsum nullatenus movebit, sed ab ipso tanquam ab immoto muro resiliet. Etiamsi ferocientes mille armati in ipsum sclopetis vel sagittis colli-

*Artic.* 8.

Quomodo homo potest fieri invulnerabilis.

*Artic.* 8. ment, etiamſi gladiis, ſecuribus, fuſtibus ipſum impetant, & mille modis cruciare conentur, nullo tamen contundetur, aut perfodietur vulnere. Etiamſi mille equis omnes ipſius artus in diverſas partes ſimul divellantur, non dilacerabitur. Etiamſi *Harpyarum*, vulturum, aut rapacium id genus volucrum unguibus & roſtris dilaniandum relinquatur, integrum permanebit. Etiamſi famelicis ſævientium [a] belluarum rictibus, & balænarum faucibus devorandum exponatur, illæſum perſiſtet. Etiamſi totum ſimul deglutiatur, & in [b] Cœtorum ventriculo ſine ullo externi Aëris commercio contineatur, vita tamen fruetur. Vel enim contento in capaci balenæ ſtomacho aëre, etſi exiguo, cum mediocri & inſenſili reſpiratione paſcetur, uti fœminæ in *hyſtericis affectibus* ſine ulla prorſus ſenſili reſpiratione vivunt, & pro mortuis nonnun-

Feritas Belluarum refrænata.

nunquam sepeliuntur; vel sine ullo prorsus aëre ambiente, sed ex retento inspirato priùs aëre juxta *secundam legis motus suspensionem*, vivit; evolaturus enim per habitum devorati Corporis aer in cursu impediri, ab ambitu Corporis ad internos ejusdem recessus repelli, & sanguinem debita sui quantitate intùs fovere potest. *Artic.* 8

Ex hujus quoque Legis suspensione [c] *Corpus humanum*, [d] *Rubus*, vel aliud quodvis inflammabile Corpus, etiamsi ardentissimo igne undique cingatur, poterunt tamen non comburi, aut in cineres reduci. Aut si forte flammas, uti *Rubus*, capiant; coacervatis in vorticem flammis poterunt non consumi. Igneæ enim particulæ, non comburunt ex innata ulla virtute, aut insito impetu ut supra vidimus, sed quia supremus motûs Author voluit, ut, *ex occasione hujus impetû*, Potest flamma non combuere.

*Artic.* 8. ipſe diſſolvat ſeu comburàt projecta in ignem Corpora; velle quoque poterit ut eadem non diſſolvantur, etiamſi rapidiſſimis ignearum ſcintillarum cohortibus vorticoſo impetu irruentibus impetantur. Velle pariter poterit ut à nullo alio Corpore impellente meum vel aliud quodvis Corpus diruatur, imo ne quidem à loco dimoveatur. In hoc autem caſu motus ipſe non ſupprimitur etſi motûs *Lex* ſuſpendatur. Lex enim motûs in flagrante igne eſt, ut quodvis projectum Corpus accendat, aut diſſolvat, ſeu partibus illius diſſociatis motum communicet, poterit tamen flamma motum non communicare projecto Corpori, etiamſi motus ipſius proprius ſemper in vigore perſiſtat.

Quomodo quis poteſt vivere in æternum.

Cæterùm, ex hac pariter ſuſpenſâ motûs lege clarè inferre poſſumus quòd homo poteſt fieri immortalis, & poteſt in æternum

num vivere ſine alimentis. Poſ- *Artic.* 8.
ſunt enim omnes Corporis partes in eodem ſitu ſemper retineri, poſſunt quoque omnes Corporis elementares particulæ à diſſolutione cohiberi. Sanguis & alii humores, etiamſi perenni inteſtino motu intra ſe agitentur, impediri poſſunt quominus vappeſcant, ſeu quominùs principia ipſorum diffringantur, aut eorundem abradantur anguli; quominùs eædam particulæ per habitum Corporis non exhalent, & reparatione non egeant. Brevi, tota quanta nunc eſt Corporis mei materia, cum eadem figura, ſitu, numero, fabrica, & uſu partium, in ſtatu in quo nunc eſt, in perpetuum conſervari poteſt; ac proinde Corporis mei Vita non ſolum per quadraginta dierum ſpacium, ſed etiam in *æternum* ſine alimentis perdurare poterit. Ideo enim nos dapes ingerimus, ut ſanguinis prin-

*Artic.* 8. cipia ſalina & ſulphurea inteſtino conflictu nimis attrita, & diſſoluta, nec non per τὴν πηελφεφείαν Corporis jugiterevolantia jugi alimentorum acceſſu reſarciamus. Si igitur principiorum attritio & tranſpiratio juxta *ſuſpenſam hanc motûs legem* præpediatur, nullum fiet eorundem diſpendium, ac proinde nulla opus erit reparatione.

Sanguinis ipſius principia ita aliquando ſpiſſa ſunt, & tam viſcido cæmento ſunt alligata, ut ſine ulla motûs legis ſuſpenſione per quindecem, imo octodecem dies, uti in canibus ipſe vidi, ſine alimentis à diſſolutione cohiberi valeant. Unde *pro miraculo* ſemper haberi non deberet ſi forſan aliquando quidam ſine cibis per plurimos dies vitam protrahant. Uti in Maniacis quibuſdam, aliiſque nonnunquam ægrotantibus videre eſt.

ARTIC.

## ARTIC. IX.

*De Tertia motûs Lege suspensa. Ubi cernitur quòd* Corpus in motu positum, motum suum subitò deperdere poterit, non communicato eodem alteri Corpori ambienti.

NON tantùm Corpus quodvis sine impulsu alterius Corporis moveri, & impulsui ejusdem resistere, sed etiam motum suum subitò deperdere poterit, nec illud in aliud Corpus transmittat. Unde manifestum est quòd *globus tormentarius*, in murum projectus, in medio itinere sisti subitò potest. Quod immanis rupis ab alto vi adacta, vel proprio pondere decidens, poterit suppresso motu in aëre librari. Quod [a] flumen ad mare properans in cursu sisti potest. *Artic. 9.*

*Artic.* 9. [b] Solis, reliquorúmque cœleſtium Corporum motus ſupprimi poteſt. Motus omnes animales, ſanguinis nempe, cordis, reſpirationis, & ſpirituum ſuſpendi poſſunt in humano Corpore, & [c] mors ſubito invadere poteſt ſine prævia ulla morborum ſævitie. Nec tantum motus Corporis ſolidi totius, ſed etiam particularum minimarum fluidi cujuſvis Corporis ſupprimi poteſt. Quo ſuppreſſo fluida omnia, ut Aër, Aqua, & Liquores omnes in ſolidum Corpus coaleſcent. Corpus enim ſolidum à fluido in hoc tantùm diſcrepat, quòd partes illius in mutuo quodam amplexu quieſcant. Singulæ verò fluidi Corporis particulæ, motu proprio & inteſtino agitantur; quo motu ſublato, in ſolidum Corpus abeunt, uti aqua fit glacies. Sicque [d] mare in parietes hinc inde diviſum ſolideſcere poteſt; ſolidi quoque Corporis particulæ

à

à mutuo contactu diſſociatæ, & circa centrum ſuum rotatæ, fluidæ evadunt, uti glacies in aquam eliquata, ſaccarum vel ſal in aqua reſoluta, uti particulæ auri in *aqua regali* natantes, fluitare videntur. *Artic. 9.*

Nunc triplici modo concipere poſſumus quomodo [e] *Corpus humanum* ſuper mare vel in aëre ambulare, vel quomodo [f] *ferrum*, plumbum, vel aliud quodvis Corpus grave ſuper aquam natare poterit. Vel enim aufertur tota Corporis prementis gravitas, ſeu ambientium Corporum compreſſio, *juxta primæ ſuſpenſionis legem*; vel unda in fluore remanens gravitanti Corpori reſiſtit, ipſumque ſubſulcit, *juxta ſecundæ Legis motûs ſuſpenſionem*; vel ſuppreſſo aquæ vel aëris fluore, *juxta tertiam hanc ſuſpenſæ legis regulam*, ſuper ſolidam aream incedet Corpus. Patet enim quod ſi Corpus meum toto ſuo pon-

*Artic.* 9. pondere ſpolietur, etiamſi fluidam aquam calcaret, nunquam immergeretur, quin imò per aëra volaret. Obvium quoque eſt quòd Corpus meum, etſi remaneat tota ipſius gravitas, ad fundum fluidi nunquam præcipitabitur, ſi prementi pedi mare, vel aër, ſublato *fluidi* motu, renitatur; quin imò æque facile in aqua, & in aëre ambulabit, ac in pavimento marmoreo.

Longè autem plures difficultates occurrunt cur ſublata gravitate ſuper undas Corpus incedat, quàm cur ipſum remanente gravitate ſolideſcens mare ſubfulciat. Quia ſi auferatur tota Corporis humani gravitas, Aër, & reliqua ambientia Corpora removeri deberent, aut ſaltem compreſſio ipſorum ſuſpendi; removeri autem non debet aër, quia Corpus ſine reſpiratione vivere non poteſt; aut ſi forte viveret, ſublata compreſſi-

one

one externa, tumeret nimis, uti fit quando, aëre ſub applicatis ſcapulæ cucurbitulis nimis rarefacto & attenuato, caro in molem ſublevari ſolet. Unde longè facilius & clariùs concipitur quòd Corpus meum cum toto ſuo pondere in renitentis & ſubfulcientis maris ſuperficie incedat, quàm quòd tota ſua exutum gravitate progrederetur. Hoc enim modo æquè clarè concipitur quòd [g] Corpus meum in aqua vel in aëre per horizontalem lineam ambulare poteſt ac in terræ ſuperficie. Imo per divergentem vel perpendicularem lineam [h] homo poterit cum toto ſuo Corpore per quandam quaſi ſcalam aëream per gradus & intervalla calcantibus pedibus in inani fluido reſiſtentem, ad [i] *Cœlos* aſcendere; eodem plane modo quo nos ipſi ad altiſſimorum montium cacumina anheli aſcendimus. *Artic.* 9.

Longè

*Artic.* 9. Longè plures Corporum ſtatus ſuper naturam ſub *prima legis motus ſuſpenſione*, quàm ſub reliquis duabus collocari poſſunt; non ſolum enim recenſita ſuperiùs in illo capite *Miracula*, ſed etiam quæ hic inferiùs de multiplici Corporis humani ortu & generatione dicturus ſum, ad illam quoque claſſem reduci poſſunt.

---

ARTIC.

## ARTIC. X.

### *De Humani Corporis genesi ex Mare & Fœminâ.*

ETiamsi juxta sancita jam *Naturæ Decreta* Corpus humanum, uti ac reliqua Animantia, ex mutuo Maris & Fœminæ conjugio generetur, nihilominus tamen in peculiarem aliquando finem à summo Opifice *ex fœminâ sine mare, ex mare sine fœminâ*, imo *sine mare & fœminâ* stupendo quodam & insolito modo formatum esse perhibetur. Quoniam itaque mihi hic proposui diversos Corporis humani ortus illustrare, opus erit priùs perpendere obiter *modum* quo *generationis opus* juxta statutas *Naturæ* leges perficitur, ut clariùs pateant ea quæ de miraculosa ipsius formatione dicturus sum. *Art.* 10.

Om-

*Art.* 10. Omnia Corporis virilis & muliebris organa præter partes genitales ſimilis omninò ſunt fabricæ & paris ubiq; proportionis. Vir pendentes habet duos *Teſtes* membraneo loculo incluſos; quorum uterque totus ex exiguis, tibiæ inſtar muſicæ, perforatis canaliculis & ſerpentinis quaſi ductibus conſtat, qui, filacei inſtar glomi, ſibi ſuperpoſiti ſunt. In his canaliculis elaboratur & ſecernitur ſuccus quidam peculiaris, quem medici *ſemen virile* nuncuparunt; quem tamen Ego *fermentum* tantùm viri *ſeminale* vocitari mallem; quia non in ipſo, ſed in fœminâ tantùm ſemen ſeu germen continetur. Hic humor per proprios tubulos ad capſulas quaſdam in penis cavitatem hiantes vehitur, quas *veſiculas ſeminales* nominant, in quibus coacervatur, & conſervatur ſuccus hicce fermentaceus, donec pro data occaſione, ab æſtuante

Partes generationis viri.

*Ve-*

*Veneris* ira per veretri urethram in uterum fœminæ prolem formaturus ejaculatur. *Art.* 10.

Mulier autem sub imo ventre quandam habet cavitatem vesicalem quam *uterum* solent nuncupare. Hic uterus in duas *Tubas* versus dextrum & sinistrum latus protuberat. His tubis appensa sunt duo *corpora glandiformia*, quæ antiqui *Testes* muliebres, neoterici *Ovaria* vocant; *seminaria* tamen nuncupari maluerim. In his *seminariis* continentur plurimæ membranosæ *vesiculæ* limpido & ferè pellucido latice turgidæ; quæ in innumeris distinctis loculis, uti granatorum semina, inclusæ sunt, & ab ambientibus vasis sanguiferis succum nutritium jugiter expuentibus paulatim aluntur, donec ad præfixam quandam magnitudinem extumescunt. Hæ væsiculæ hodiè *Ova* nuncupari solent; *semina* verò humana vocitari

Partes generationis fœminæ.

*Art.* 10. tari potiùs merentur. Uti enim bombycis vel tritici ſemen totum bombycem & totam tritici ſpicam cum ſeminibus continet, ſic unaquæque ſeminis muliebris *pyxis* membranea omnes corporis humani partes comprehendit; imò longè ante commercium ſœminæ cum viro formata & in debitum ſitum diſpoſita in prolifico hocce liquore integra Corporis noſtri ſtamina & rudimenta natitant. Uterus præterea longo canali *vagina* dicto foras hiat, per quam vaginam penis virilis ingreditur, & egrediuntur *menſtrua*, *fœtus*, nec non *fluoris albi* & *Gonorrhœæ* materia; & per labra ipſius *Urina* excernitur.

Semen continet omnes partes.

Quomodo generatio perficitur.

Præmiſſa partium generationi inſervientium ſtructura, nunc perpendendum quomodo *generatio* ipſa perficitur. Poſt elapſos quoſdam ætatis annos, *Vir* & *Fœmina* ab aucto nativo calore

&

& humorum fermentatione venereo quodam œstro perciti, ad oscula & mutuos amplexus, libidinem satiaturi, ruunt. Hoc in congressu, Vir, non sine voluptate, in uteri muliebris cavitatem seminale illud fermentum seu succum illum fermentaceum emittit, qui in testibus elaboratur. Hic succus partim cum circumeunte sanguine, partim rectâ viâ per *tubas Fallopianas* ad seminaria fertur, & *semina* in illis tanquam in totidem diversis nidulis latentia, *auræ* instar *prolificæ*, subit & penetrat; & prout unum aut alterum ex seminibus erit maturum, nempè prout debitam dispositionem seu magnitudinem acquisiverit, fermenti instar illud rarefaciet, intestinum inquam & expansivum motum cum limpido & lymphatico seminis latice, in quo delineata fluctuant Corporis stamina, inibit, eundem attenuabit, stamina ipsa expandet & distendet,

*Art.* 10.

*Art.* 10. det, porulos eorundem aperiet ; ſicque attenuatus ambiens liquor dilatatos ſtaminum porulos ſubibit, ipſos ampliabit, & largiùs nutriet ; donec, creſcente indies ſeminis mole, *membraneum domicilium* tandem præ magnitudine diſrumpet & per annexas *tubas* in *uteri* cavitatem ſemen delabetur ; ibiq; uteri parietibus, media placenta leviter alligatum, ab appellente matris ſanguine per umbilici vaſa ſine ulla reſpiratione alimentum conſtanter recipiet. Interim ab inteſtina hacce ſeminis turgeſcentia, torpentes antea humores in motum agitabuntur, & agitati partes ſolidas, Cor præcipuè movebunt. Cor autem ſemel motum moventem liquorem in appenſas arterias ad extrema Corporis propellet. Propulſus liquor antecedentem liquorem ad Cor iterum Urgebit. Hic liquor ſeu Sanguis ad Cor denuo redux Cor iterum movebit,

Punctum ſaliens eſt Cor, primum vivens & ultimum moriens.

bit, & à Corde viciſſim in orbem movebitur. Sicque incipit & conſervatur partium ſolidarum motus ac humorum circuitus. Primus enim humorum motus eſt cauſa primi & ultimi motus Cordis, & motus Cordis eſt viciſſim cauſa cur humores perpetim in circulum volvantur; non verò cur inter ſe fermenteſcant. Hæc enim fermentatio ab orta inter diſſimiles Sanguinis particulas lucta & certamine dependet. Fermenteſcentibus igitur & circulantibus *ſeminis* humani humoribus, & fluidis, ſtamina ſolida, & *Organicæ partes* ex ſuppeditato à matre fermentationi & nutritioni continuo pabulo indies magis magiſque turgebunt. Sicque quod primò *ſemen* fuit *germinis* nomine inſignitur; quod Germen mox *Embryo* vocatur, dein *Fœtus*, hinc *Infans*, *Puer* deinde, poſtea *Adoleſcens*, *Juvenis*, *Vir*, & tandem

*Art.* 10.

Diverſi ætatis gradus.

*Art.* 10. *ſenex*, pro diverſo Corporis incremento & ætatis gradu nuncupatur. In quovis autem ſtatu, etiam ſub minima Corporis mole, *Homo* vocatur, modo *Spiritus*, qui anima ſolet appellari rationalis, Corpori reverà præſens ſit. Unde fœtus æq; completus eſt homo, ac vir, aut ſenex; quia Corpus non fœtûs duntaxat, ſed etiam Embryonis æquè integrum eſt ac Corpus adulti, cùm ex pari Organorum numero, & cum ſimili eorundem ſitu & textura conſtruatur.

Partus quomodo fit.

Eodem modo quo ſemen *fermento* viri *prolifico* turgeſcens, ex *ſeminario* viam ſibi pandit in uterum, ſic ex utero fœtus, mole grandior, & creſcentibus viribus robuſtior factus, huc illucque volvendo ſeſe, & calcitrando membranea dilacerat involucra; unde ruptis quaſi carceris repagulis, foràs ſibi ſub auras exitum per vaginam, ſequentibus pone *ſecundinis*, molitur. Ani-

Animantium igitur omnium generatio (imò & plantarum vegetatio) in nova Organorum aut partium formatione non conſiſtit, ſed in hoc tantùm quòd fermentum maris ſeminale ſtamina jam in ſemine verè delineata, & in brevi voluminis gyro comprehenſa, expandat, & aptiora reddat, ut largius alimentum & incrementum ſumant. Corpus enim humanum etiamſi totum, & omnibus Organis inſtructum, in ſemine, longè ante fermenti virilis appulſum, verè contineatur, mole tamen *lentem*, aut *formicam*, animalcula exigua non ſuperat. Ut igitur ad molem extumeſcat majorem, per expanſos & dilatatos exiliſſimarum fibrillarum porulos majorem alimenti copiam admittere debet. Sic obſervamus quòd granum *tritici* aut *hordei* faciliùs longè, & citiùs in æſtivo quàm in hyberno tempore pullulat, *Ant.* 10.

*Art.* 10. quia ſolis ardore germen laxatur magis & expanditur, ut ſucco nutritio è terræ viſceribus à ſolis radiis elevato ad interiores ſeminis receſſus per ſitientes & bibulos ejuſdem porulos capacior pateat aditus.

Cæterùm, ut Generatio pleniùs adhuc illuſtretur, congruum foret ſolerti examine inquirere, quomodo diſpoſita in ordinem *ſeminis*, ſeu *germinis humanii* ſtamina primitùs fuerint delineata. Rancida illa veterum Medicorum ſententia jamdudum exolevit, qua contendebant quòd maris & fœminæ ſemina in utero commixta *virtutis* cujuſdam *plaſticæ* beneficio in plurimas & conſtantes diverſorum Organorum formas ſponte ſua abierunt. Patet enim, ut jam vidimus, quòd nullum eſt in viro ſemen. Patet quoque quòd humor ille in præfervida tentigine à glanduloſis vaginæ muliebris *lacunis* per

*pudendi*

*pudendi* labra excretus, eſt potiùs titillationis & voluptatis ſtimulus, quàm fœminæ pro generatione ſymbolum; ſi enim generando fœtui quid conferret hic humor, tantum abeſt ut effœti inſtar excrementi pro lubricanda vagina foràs amandaretur, quin imo in uteri clauſtris pro formanda prole arctiùs includeretur. Quare in ſenſu quo Veteres ſeminis naturam intellexerunt, neque vir, neque fœmina ullo forent ſemine fœcundi. Inter omnes itaque hodie ſanioris judicii Medicos convenit, quòd omnes Corporis noſtri partes in ſolius matris *ſeminariis* ante viri commercium à ſolo & ſupremo Naturæ Authore verè formatæ ſunt. An verò in primordiis rerum omnia ſemina in prima muliere intra ſeſe tanquam intra innumeras pyxides fuerint contenta, an per Mundi Machinam tunc fuerint *Art.* 10.

*Art.* 10. dispersa, an in typis seminalibus post cujusque fœminæ ortum formata, an verò hic & nunc, prout Naturæ necessitas exigit, à summo Conditore creata, prolixum, arduum, & supervacaneum foret hîc loci investigare. Quare sat erit cum cæteris asserere, quòd in compendioso seminis humani gyro tenuissima Corporis nostri stamina cum debito eorundem situ, cum solito Organorum omnium numero & figura ante Actum Venereum verè continentur.

Prærogativa matrum præ maribus.

Ex his inferre datur quantas sibi Prærogativas vindicare possunt fœminæ præ maribus; quantoque cultu & honore Liberi Matres suas prosequi deberent. Mulier enim sola totum ferè *generationis* opus perficit; ipsa sola *semen*, seu rudimenta Corporis, ante viri consortium continet; multis ærumnis obnoxia est gravida Mulier; multis tormi-

minibus in partu cruciatur; ipsa *Art.* 10.
pascit fovetque in utero fœtum, & post partum mammarum lacte alit; unde intensior est utplurimum Matris quam Patris in Liberos Amor. Vir autem post unius momenti voluptatem nihil ampliùs de prole cogitat, & in ipso libidinis æstu tam parum generando fœtui suppeditat, ut vix parentis nomen mereatur, nullum enim est in viro semen, & nihil largitur præter fermentum quoddam *seminale*, quod partes fœtûs non format, sed jam formatas expandit; uti enim agricola fimo, cineribus, calce viva, aut arenis, tanquam totidem fermentis terram colit, ut projecta ac sata semina producat, sic mas latentia tantùm in fæminæ seminibus germina prolifico quodam fermento fœcundat. Matres autem ex tanto illis à Liberis præstando honore superbire aut insolescere non debe-

*Art.* 10. Fœminæ non ſunt vere matres, ſed matrices.

berent; quia ipſæ non tam *Matres* verè ſunt, quàm *Matrices*, in quibus ſemina aliunde formata pullulant; fæminæ enim ſemen ipſæ aut fœtum non formant, ſed ipſum tantùm jamdiu formatum nutriunt; imò ipſum magis non poſſunt non nutrire, & parturire, quàm ferax ſolum ſata ſemina ardente æſtivo ſole non poteſt non expandere & proferre: unde non ex libero matris arbitrio, ſed ex neceſſaria *Naturæ* ſeu motus lege fœtus generatur, & ex eadem lege in lucem prodit; imò in lucem editus ex pari legis neceſſitate ob urgentem quendam & extus inſitum amoris in prolem ſtimulum, non à Mulieribus duntaxat, ſed ab ipſis belluis & volucribus, rationis, ut aiunt, expertibus materna quadam induſtria nutritur. Plura hic de naturali Corporis humani geneſi ſubjicere, foret extra propoſiti noſtri ſcopum divagari, quare ad

ſtatus

ſtatus ipſius ſuper naturam tandem revertamur. *Art.* 11.

---

## ARTIC. XI.

### *De Corporis Humani geneſi ex Fœmina ſine Mare.*

QUum ex ſtatuta partium Genitalium ſtructura *Generationis* opus & natura ex ſolito maris & fœminæ conjugio nobis innoteſcat, nunc ſagacius perpendamus utrum ſuſpenſa hac ſolitæ generationis *Lege* clarè concipere valeamus, quomodo ex ſola [a] fœminâ, ſine ullo prorſus maris commercio, ſed agente tantùm ſupremo Numine Corpus humanum enaſci poterit.

*Generatio*, ut jam ſupra innuimus, aliud nihil eſt quàm *ſtaminum in ſemine muliebri contentorum debita expanſio & rarefactio fermenti maris prolifici virtute* Quid generatio.

*Art.* 11. *tute inducta*; cujus inteſtinæ turgeſcentiæ ope delineata *Germinis* rudimenta majorem alimenti copiam ſugere & in dilatatos porulos abſorbere apta redduntur; undè molem acquirunt majorem, & paulatim creſcendo ad eximiam tandem magnitudinem extumeſcunt. Cum autem, ut ſuprà probavimus, Corpus motum obvium Corpus naturâ ſuâ aut vi inſitâ non moveat, ſed ipſum ſupremus *Motor* ex irruentis Corporis occaſione in motum ſolus verè concitet; & cùm expanſio & rarefactio quædam ſit *Motus* ſpecies, patet quòd ſpermaticus maris ſuccus cum ſemine muliebri commixtus, illud non fermentat, aut expandit ratione motus ullius aut qualitatis, quam verè & propriè in ſtamina germinis à ſe transmittit, nihil enim transferri poteſt ab uno Corpore in aliud præter materiam; ſed quia ex occaſione appulſus

appulsus fermenti virilis summus Archetypus delineatas seminis fibrillas verè & immediatè distendit. Quid igitur impediet quo minùs *juxta primæ*, quam supra recensuimus, *legis motus suspensionem*, Deus ipse solus sine ullo Fermenti virilis appulsu, miscela, aut ope, stamina, quæ ipse solus sine viri aut fæminæ auxilio in debitam seriem & ordinem jamdudum primus disposuit, expandere, rarefacere, porulos filamentorum dilatare, ambientes seminis membranas, & involucra ampliare valeat. Ampliatis autem semel & motu cælitùs indito devolutis *Virginei seminis staminibus*, *Germen*, eodem plane modo quo per naturalem in imprægnata conjuge generationem, *in* [b] *cælibe & intacto uteri claustro* incrementem sumet, & in Embryonem, fœtumque paulatim turgescet. Sufficiens enim alimenti copia à circumeunte & appellente sanguine per expansos & bibulos filamentorum porulos supp-

*Art.* 11.

pedi-

*Art.* 11. peditabitur, unde in tota ſua molle indies tumebunt, & clauſtra ſua ſeu veſiculares *ſeminariorum* cancellos, in quibus recondita ſunt, diſrumpent, inde per appenſas Fallopii *Tubas* in uteri cavum delabentur, ibique media *placenta* tanquam carneo & ſpongioſo cæmento uteri parietibus adhærebunt, affluentem ſanguinem per innumeras vaſculorum *placentæ* propagines inſugent. Sicque nutritis paulatim ſolidis ſeu organicis ſeminis partibus, & concitatis in motum vitalem ejuſdem humoribus, ex puſillo *Germine* fiet *Embryo*, ex Embryone fœtus, fœtuſque, collectis ſenſim viribus, ab anguſto domicilio poſſit novem tandem menſes per os uteri, & per vaginam, viam ſibi foràs ſub liberiorem auram pateſaciet.

Unde patet quòd non facilius erit primum hominem ex terra ſine ullo maris aut fœminæ ſemine creare, quàm alios homines ex ſemine fœminæ ſine maris conſortio generare.

rare. Imo ſi quis ſecum rem ritè totam perpenderet, videbit forſan, quòd non magis ſtupendum eſt, quod Homo ex ſola muliere generetur ſine viri commercio, quàm quòd ex maris & fœminæ congreſſu formetur; cum concurſus viri ſit tantùm occaſio cur ipſe ſupremus rerum omnium Parens *generet*, qui eſt immediata, imò unica, utriuſque Phœnomeni, & effectum omnium, cauſa. *Art.* 11.

---

ARTIC.

## ARTIC. XII.

### *De Corporis Humani ortu sine Mare & Fœmina.*

*Art.* 12. SI retrò ad Orbis conditi primordia mentis nostræ aciem recto tramite retorqueamus, & continuam istinc innumerorum effectuum sibi hucusque hæreditario quodam jure succedentium, & à se mutùò dependentium catenam & seriem contemplemur, reperiemus, quòd uti cæterarum rerum, sic & *Generationis humanæ* origo cum Mundi tantùm origine incepit. Ut autem *Generatio* semel inciperet, formari debuit *primus Homo*, qui foret primævus cæterorum *Genitor*; generari autem non potuit ex Patre aut Matre, cùm ipse primus fuerit humani generis parens: nec ex se, aut à se gigni potuit, quia non potuit esse

esse sui parens & proles. Quare *Art.* 12.
sine ullo prorsus maris & fœminæ conjugio ex rudi adhuc & indigesta [a] tellure à supremo Opifice coagmentari debuit. Si mortui quoque resurgerent, cadavera ipsorum jam in pulvisculum redacta ex informi materia iterum construi deberent. Magis autem conceptu difficile non est, quomodo organicum grandioris molis Corpus ex eximia terræ quantitate cum vita, motu nempe & sensu, subito formetur; quàm quomodo rudimenta seu delineamenta corporum nostrorum ex patris & matris congressu generatorum in pusillo seminis germine sine prævia generatione creentur. Primaria enim corporum, etiam nostrorum, stamina nullo naturæ auxilio, aut motus lege, in organicas hasce texturas & machinulas ante generationem primitùs disposita sunt; sed suspensâ *primâ motus lege*, à summo Numine immediatè delineata in compen-

*Art.* 12. diosum & vix præ parvitate credibile volumen contrahuntur. Unde prima Corporis nostri *delineatio* æque verè *Miraculum* est, ac primi Parentis *creatio.*

Corporis humani Analysis Chymica.

Ut autem clarâ mente concipiamus quomodo informis glebæ materia in tam miras & multiplices Corporis humani partes & texturas converti posset, supponamus quod rei cujuspiam sani in patibulo suspensi Corpus, centum libras grave, totum, cum ossibus, carne, & sanguine, vasis Chymicis destillandum committatur ; peculiarem *salis volatilis alkalini*, *sulphuris* seu olei fœtidi, *phlegmatis* seu aquæ insulsæ, *salis fixi* alkalini, & *terræ elementaris* quantitatem in pari pondere largietur ; ita tamen ut major sit *phlegmatis* quantitas quam *terræ*, major *terræ* quàm sulphuris,& major tandem sulphuris quam salis. quadruplex hoc particularum elementarium genus non nisi mole tantùm & figura à se invicem discrepant.

ſcrepant. Terra, quæ in poroſis ſuis alveolis reliqua principia ebibit & fulcri inſtar ſuſtentat, mole grandior eſt quàm ſulphur, ſal, aut aqua. Sal, cum ſolus linguæ papillas acredine quadam pungat, angulis acutis ſolus eſt hiſpidus; terra vero, ſulphur, & aqua, quæ inſulſa ſunt, obtuſa figura, etiamſi diverſa donantur. *Art. 12.*

Cum itaque experientia doceat quòd Corpus humanum centum libras pendens, totum ex certa *Terræ*, *Aquæ*, *Salis*, & *Sulphuris* proportione coaleſcat; nunc videamus quomodo *primum* ſeu τὸ πρωτότυπον Corpus humanum ex informi materia formatum eſt. Ponamus igitur ſumi centum *terræ & aquæ* vel alterius cujuſvis materiæ libras, ut humanum ſolitæ magnitudinis Corpus cum centum librarum pondere conſtruatur: Ut Corpus humanum inde educatur, peculiaris Terræ elementaris, Aquæ, Salis & Sulphuris proportio formari ſubitò debet: Ex

*Art.* 12. hac particularum quadriga in diversa quantitate sibi mixtâ plurimæ: diversæ texturæ partes, tum fluidæ: tum solidæ, exurgent. Duæ hic: obviàm veniunt difficultates, quomodo nempè indigesta hæcce & uniformis materia in quadruplex hoc particularum genus convertetur, & quomodo in tot dissimiles partes conversa, in Corpus humanum abibit. Ut autem harum difficultatum caligo experientiæ lumine dissipetur, observamus in *Arte Chymica* quòd sulphur elementare & sal in aquam & terram sponte sua convertuntur, quod denotat eadem fuisse ex aqua & terra primitus orta. Experimur pariter quod aqua cum pauca terra per hortos aspersa in salinas & sulphureas mille plantarum partes abeunt. Alimenta solida in chylum, sanguinem, carnem, & ossa mutantur. Cum igitur in naturali animantium & plantarum vegetatione *aqueæ & terreæ* partes in *salinas & sulphureas*, & hæ vicissim

ciſſim in illas, ex inteſtini earundem motûs Lege præ oculis quotidie convertantur; mirum non erit cur à ſupremo naturæ Authore ſine ulla inteſtini motûs Lege, aut Corporum ipſorum auxilio, *juxta primæ motûs Legis ſuſpenſionem* non tantum aqua & terra in ſalem & ſulphur, ſed etiam omnia cujuſcunque naturæ Corpora in alia diverſæ indolis Corpora transformentur. Si autem centum materiæ Libræ in diverſas *aquæ*, *terræ*, *ſalis* & *ſulphuris* proportiones fuerint mutatæ, concipietur facile quomodo Corpus humanum ex iiſdem in ſolidas & fluidas partes diſpoſitis conflabitur. *Art.* 12.

Qui ſeriò perpendebit quàm ſtupendas machinas humana ars conſtuere ſolet, non inficiabitur quin tanta ſit ſupremi Artificis potentia ut ex debita *terræ*, *aquæ*, *ſalis* & *ſulphuris* proportione Corporis humani fibrillas & ſtamina texat, texta in Organicas & diverſas for-

*Art.* 12. mas conjungat, diſponat, &, humoribus per totam partium & Organorum compagem fluitantibus, intùs in motum cieat vitalem. Videmus enim quanta induſtria & artificio, horologia ex rotis, elateriis, & ſtaminibus conſtruuntur, ut tempus metiantur. Artificialia capita efformantur, quæ vocem humanam imitantur. Factitia manus tantis machinulis movetur, ut ſponte ſua ſeu motu proprio vocabula cum calamo ſcriptorio in charta inaret. Pſittacos rationis aliunde & ſenſus expertes docemus verba quædam proferre. Muti hominis, & ab ortu ſurdi lingua ita movetur aliquando, ut quædam verba articulari poſſet. Pyrii pulveris ope & pyrotechnicis inſtrumentis, currus, equos, & armatos homines in aëre repræſentamus. Æſtuantis maris unda in oppoſitas rupes irruens humanas aliquando, & equinas formas in rupibus inſculpit. Ex argento in ſpiritu nitri diſſoluto, & cum

Stupenda inſtrumenta humana arte confecta.

cum mercurio in aqua diluto, poſt quadraginta dies vegetale quoddam ſponte ſuâ cum ramis & fructibus pullulat, quod *arbor Dianæ* à Chymicis nuncupari ſolet. Varia Organa muſica in ſymmetricum ordinem diſpoſita, miris illecebris irretiunt, & ſuavi ſonorum modulamine aures titillant. Nemo neſcit quòd in viſceribus terræ varii reperiantur lapides, & alia mineralia, quæ veram linguæ, roſtri, dentis, capitis, manus, pedis, veretri virilis, arboris, cornu, & aliorum Corporum formam exhibent. Cùm igitur juxta *ſtatutas Motûs Leges* tot tantæque ſtupendæ fabricæ, vel naturæ induſtriâ, vel humana arte conſtruantur, arduum non erit concipere, quomodo ſupremus artifex peculiarem quandam *aquæ*, *terræ*, *ſalis* & *ſulphuris* proportionem in Organicas diverſæ texturæ partes diſponat, & partes ipſas in humani Corporis formam compingat. Poterit enim minutiſſimas

*Art.* 12.

Corpora ſtupendo naturæ artificio conſtructa.

*Art.* 12. horum elementorum particulas in cava ſtamina, ſeu vaſculares fibrillas formare ; poterit has fibrillas ſuis humoribus repletas & multis modis ſibi intertextas in diverſa Organa diſponere ; & eadem Organa, in continua quadam ſerie, & in debito quodque ſitu ſibi alligata in humanum Corpus ſponte ſua abibunt.

Si autem Corporis noſtri ſtamina ex majori longè *terræ* & *ſalis* quàm *ſulphuris* aut *aquæ* proportione conſtent, & ſtricto præterea vinculo ſibi adjungantur, ſolidas & graves partes, uti *Oſſa*, cartilagines, Tendines, & Ligamenta efformabunt : Uti enim trabes tecta firmiter, & oſſa Corporis noſtri machinam ſubfulciunt, ſic redundans in mixtis *terra* ſolidum illis ſtabilimentum conciliabit. Si verò præ terra, aqua, & ſale, ſulphur ſeu oleum exuperet, adipem conſtituet : Si æqualis ſerè ſit aquæ, terræ, ſalis, & ſulphuris miſcela, partes laxiores quidem,

dem, ſed ſolidas, conſtruet, quales ſunt Muſculi, Membranæ, vaſa omnia, & glandulæ: Si tandem partes aqueæ luxurient penitùs, & minor ſit ſalis & ſulphuris, & minima terræ quantitas, ſanguis inde orietur, reliquique fluitabunt humores. *Art.* 12.

Poſtquam itaque Corpus humanum ex debito *Oſſium*, *Muſculorum*, *Viſcerum*, *Membranarum*, & *Vaſorum* numero ſic conſtruetur, & poſtquam vaſa cordi & cerebro appenſa propriis fluidis erunt repleta; Cordi & ſtagnantibus adhuc in vaſis liquoribus motus indatur; *Sanguis*, *Spiritus animales*, & reliqua fluida in circularem ſtatim motum agitabuntur, & cunctis partibus vitam largientur; quæ vita nihil aliud eſt quàm quinque Organorum ſenſus, nec non Cordis, Reſpirationis, & fluidorum Corporis motus. Unde Corpus ex terra ſic confectum, non tantum erit Corpus Organicum, ſed etiam animatum. Si præterea

Corpori

*Art.* 12. Corpori sic animato Spiritus seu substantia cogitans uniatur, quæ ex lege suæ unionis Corpora externa percipiat, affectus Corporis regat, in Corpus imperium exerceat, & liberos ex voluntatis suæ arbitrio motus in eodem producat, Corpus non tantùm erit *animale*, sed etiam *Animal rationale* uno horæ momento exurget.

Haud facilius erit Corpus humanum ex centum materiæ libris cum tota sua mole construere, quàm idem ob indefessam materiei cujusvis ad divisionem & ad omnes figuras aptitudinem, ex uno materiæ granulo cum debito partium situ, ac numero conficere, & in brevissimo invisile volumen contrahere. Unde patet quòd Corpus humanum æquè totum ac integrum in exiguo seminis cujuslibet muliebris germine, etiamsi non sit animatum, continetur, ac in prægrandi centum librarum massa; cum Corporis humani Natura aut integritas non in

majori

majori aut minori ejusdem dimensione vel magnitudine, sed potius in peculiari & constanti diversarum partium situ, fabrica, & numero consistat. *Art.* 12.

Non solum *primum Corpus* humanum ex informi gleba formari, sed etiam ex [b] *costa*, manu, pede, aut alia quavis Corporis humani parte [c] *prima Fœmina* sine fœminæ concursu extrahi potuit, juxta eandem *Legis motûs suspensionem.* Si autem Corpus primæ parentis ex solo viri *latere* fuit constructum, non potuerat mole aut pondere superare quantitatem materiæ ex quâ *latus* ipsum constabat, quia quantitas materiæ, ex quà Corpus quodvis conditur, est vera semper ponderis & magnitudinis ejusdem mensura. Quare vel paucæ virilis costæ materiæ, tanquam stabili basi nova statim superaddita est materia, ut fœminæ statura viri staturæ pro generanda prole aptè respondeat, vel fæmina primùm cum pusillo

*Art.* 12. ſillo formata Corpore, ex aſſumpto indies alimento ad debitam Muliebris Corporis magnitudinem, Puellarum more, paulatim adolevit. Uti hoc modo prima Corporis humani delineatio explicari poteſt, ſic prima quoque cæterorum [d] animantium & [e] vegetantium formatio explicari poſſe videtur.

---

ARTIC.

## ARTIC. XIII.

### *De Humano Corpore redivivo.*

ULteriùs indagere neceſſe eſt utrum *juxta primæ quoque Legis motûs ſuſpenſionem* perſpicua valeamus mente concipere, quomodo Corpus humanum ante biduum vel triduum, vel ante bis mille annos extinctum, ad vitam revocari poſſet. Qui ante triduum mortui ſunt, alio modo reviviſcere deberent, ac illi qui ante plura ſæcula obierunt ; quia illorum Corpora adhuc integra ſunt, & incorrupta, horum verò cadavera jamdudum ſunt in pulverem redacta.

Ut primò explicemus quomodo Corpora poſt [2] triduum à morte reſuſcitari poſſunt, obſervatu dignum videtur, quòd Corpora omnia emortua, vel in patibulo ſuſpenſa ſunt, vel in aqua immerſa, vel ſubita morte, ſyn- Diverſæ mortis ſpecies.

*Art.* 13. ſyncope nempe vel Apoplexia correpta, vel vulnere effoſſa, vel morbo quodam interno, in cruoris maſſa vel in Spiritibus ſæviente, extincta ſunt. Qui in furca ſuffocatur, vel in aqua immergitur, perit, quia defectu *reſpirationis* ſanguis in pulmonibus ſtagnans ad cerebrum aſcendere, & Spiritus animales quibus impræ̃gnatur in glanduloſa cerebri filtra exonerare non poteſt; qui Spiritus vitam, motum nempe & ſenſum, omnibus Corporis partibus largiuntur, renovatã poſtero poſt obitum die reſpiratione, & indito torpeſcentibus humoribus *fermentationis* & *circuitus* motu, Spiritus animales in debita copia ſecernentur in cerebro, & vitalis motûs munia reſtaurabunt; quoniam ſolidæ partes adhuc integræ ſunt, & putredine nondum eliquatæ. Qui ſyncope vel Apoplexia corripitur, moritur, quia Cordis & Spirituum animalium motus ceſſat; renovato utriuſque motu

Diverſæ mortis cauſæ.

Diverſi modi quibus mortui ad vitam revocari poſſunt.

motu exanime Corpus reviviſcet. *Art.* 13. Qui lethali vulnere effoſſus eſt, occidit, quia ab effuſo nimio cruore Spiritus & vires proſternuntur: Sanguis effuſus vel alius, iterum in venas remiſſus & in priſtinum motum clauſo vulnere concitatus exangue Corpus ad vitam reſtituet. Qui morbo interno elanguet, ex defectu *inteſtini* & *circularis* motûs in ſanguine, tanquam conſumpto τȣ̃ βιολυχνίȣ pabulo extinguitur, qui motus perit vel quia *ſalina* ſeu *fermentativa* ſanguinis principia, præ nimio motu, uti in febribus, attrita, vappeſcunt, aut evolant; vel à redundante colluvie ſeroſa nimis diluta ſunt, vel nimis fixa, aut ab affuſo acido veneno, vel à ſæviente frigore coagulata ſunt. Si elementa ſanguinis evolarunt, iterum coacervari poſſunt. Si nimis attrita ſunt, fragmenta & anguli apponi poſſunt. Si nimio phlegmate diſſoluta, ſerum evacuari poteſt. Si concreta vel conglaciata ſit cocci-

nei

*Art.* 13. nei laticis maſſa, attenuari, rarefieri, & fermentari poteſt. Sic quomodocunque humanum Corpus pereat, poſt biduum aut triduum à morte, nondum reſoluta partium ſolidarum textura, priſtinum humorum motum, vitamque recuperare poteſt.

Nunc itaque ſolerti inveſtigemus ſcrutinio quomodo [b] Corpus humanum poſt plura ſecula putrefactum, & in tenuem jamdudum pulviſculum friatum iterum ad priſtinum ſtatum reſtaurari poteſt. Quomodo, inquam, Corpus ante quatuor mille annos in mari immerſum, à piſcibus in fruſtulorum myriades diſcerptum & à piſce in piſcem ſæpiùs tranſmiſſum, ad vitam revocari poteſt. Conſtat ſatis quòd non tantùm hujus Corporis partes integrantes, ſed etiam minutiſſimæ *Terræ, Aquæ, Salis*, & *Sulphuris atomi elementares* à ſe invicem jamdudum diſſociatæ ſunt, & diſſitiſſimæ; quòd non ſolùm quædam

per

per totum Oceanum dispersæ sunt, *Art.* 13.
sed etiam quædam in piscibus maris latitant, quædam per viscera terræ penetrarunt; quædam ad telluris superficiem cum vaporibus & fontibus elatæ sunt; quædam ex superficie terræ vegetantium radices subierunt; quædam forsan cum vegetantibus in animalia cum pascuis transierunt. Ita ut nunc forsan in omnibus Terræ plagis, in mari, & fluminibus, in piscibus, in terræ penetralibus, in vegetantibus, in animalium visceribus, in aëre ipso disseminatæ sunt unius hujus Corporis humani particulæ elementares. Præterea fieri non potest quin post tot annorum orbes hujus Corporis elementa figuras, & naturam suam sæpiùs deposuerint; necesse est ut salia post tam diuturnum motum, & per tot sæcula fluctuationem, angulos & spicula perdiderint; ut sulphura discerpta sint, & in aquam vel aliud principium sint jam mutata; ut aqua in

*Art.* 13. ſulphur vel ſalem ſit converſa. Ita ut quòd tunc ſal fuerit, nunc forſan ſit aqua, quod fuit olim ſulphur, nunc fortaſſe ſalis figuram induit, quod terra quondam, nunc aqueæ ſit indolis. Nunc igitur videamus quomodo hæ particulæ per totum ſic mundum diſperſæ, in unum acervum rurſus colligi, priſtinas figuras rurſus aſſumere, & in Corpus humanum iterum coagmentari poterunt.

Meum non eſt ex ſolidis Scriptorum argumentis, & teſtimonio, hic loci probare, quòd [c] *Mortui ad vitam verè redituri ſint*; ſed cùm ab omnibus conſtanti animo hactenus creditum ſit, & à plurimis firma ratione probatum, quòd qui è fatis exceſſerunt, iterum vivi reſurgent; operæ pretium mihi viſum eſt, juxta *rationis* normam, & juxta *Medicinæ* principia inquirere, *quomodo*, cum *quo Corpore*, cum *qua Corporis mole*, & cum *quibus conditionibus* iterum renaſcentur.

Quare:

Quare pro totius rei fundamento hæc duo in anteceſſum præmittere congruum fore exiſtimavi. Nempe *Art.* 13.

Quòd

*Si idem numero Corpus reſuſcitabitur, ex eadem, qua olim, numero materia conſtare debet.*

Et quòd

*Si idem numero renaſcatur homo, cum eodem* verè *numero, quo quondam, Corpore reviviſcere debet.*

Nemo inficiari audebit quòd ſupremus rerum Conditor, cujus potentiæ rebus omnibus inſitæ, cujus præſentiæ ubique diffuſæ, & cujus ſcientiæ ad omnia, imo minutiſſima quæque extenſæ, nullus aſcribi poteſt terminus, ſciat in quibus porulis, vel cryptis latitent, in quibus fluminibus fluctuent, in quibus atmoſphæræ partibus natitent,

*Art.* 13. in quibus demùm Mundi plagis, omnes hujus immersi Corporis particulæ, imo ipsa particularum fragmenta locata sunt. Dubitari quoque non potest quin immensa summi Conditoris potentia dispersas hujusmodi per Mundum particulas in unum acervum accumulare potest. Si verò semel coacervatæ sint eædem atomi, non difficilius erit ipsas ad pristinam humani Corporis formam & statum reducere, quam fuit primum homines ex informi telluris gleba construere.

Multæ tamen requiruntur conditiones ut ex coacervatis hisce corpusculis idem numero Corpus quod olim ante quatuor mille annos vixerat, iterum redintegretur. Debet primo esse una eademque numero materia, debet esse una eademque terræ, aquæ, salis, & sulphuris proportio, etiamsi necesse non sit ut eadem sit, quæ olim, ipsorum quantitas. Debent hæ partes servare eundem situm, quem antea habuerunt.

Conditiones quæ requiruntur ut idem homo resurgat.

erunt. Opus est præterea ut partes quæ nunc sunt salinæ, sulphureæ, aqueæ, & terreæ eædem sint quæ olim fuerunt salinæ, sulphureæ, aqueæ & terreæ. Ex defectu enim harum conditionum etiamsi eadem omninò sit materia, idem numero non erit Corpus. Si nempe partes quæ olim truncum constituerunt, nunc caput & artus efforment; & vicissim si materia capitis & artuum in truncum abeant; vel si materia manuum in pedes, & vicissim pedum in manus convertantur, vel si pes & manus dextra sinistræ manus & pedis locum occupent; & si omnes Corporis partes proprium locum mutent, etiamsi sit eadem materia, eadem principiorum proportio, & Corpus Organicum conficiant, idem tamen Corpus non construent, quia nec est eadem manus, nec idem pes, nec caput, neque truncus, ac proinde non erit idem Corpus. Imo etiamsi eadem materia quæ olim manum constituit, *Art.* 13.

*Art.* 13. tuit, nunc etiam manum efformet, non erit pariter eadem manus, nisi partes eundem omnino situm obtineant, quo olim gaudebant. Si enim particulæ quæ olim extremam manus formarunt, nunc medium manus teneant, & quæ olim erant in medio particulæ, nunc extremam occupent; nec erunt eadem extrema, nec idem medium; ac proinde non erit eadem manus. Nec erunt reliquæ partes sic formatæ eædem quæ olim fuerunt.

Ut redivivus homo sit idem debet construi ex iisdem principiis.

Præterea, etiamsi eædem atomi eundem omnino locum occupent quem olim occupârunt, si ejusdem non sint naturæ, figuræ inquam, si nempe particulæ quæ olim *salinæ* fuerunt, nunc sint *aqueæ*, quæ olim *sulphureæ* fuerunt, nunc sint *terreæ*, etiamsi eædem sint particulæ quoad materiæ naturam, quia tamen eadem non est earundem figura, eadem non erunt elementa aut principia, sed longè diversa, quia ob diversas figuras diversas habent

bent proprietates & diversos pro- *Art.* 13.
ducunt effectus, ac proinde *idem numero* Corpus constituere non poterunt. Ut enim *Corpus idem numero* sit, non satis est quod ex *eadem numero materia*, & ex *iisdem* materiæ particulis denuò confletur; sed necesse est omnino ut ex *iisdem* elementis, seu particulis prisca figura donatis componatur. Unde advertendum est quòd *aliud longè est Corpus constare ex eadem materia*, & *aliud constare ex iisdem elementis.* Quatuor autem mixtorum Corporum Elementa *Terra* nempe, *Aqua*, *Sal*, & *Sulphur*, à se invicem non nisi penes figuram tantùm discrepant, & sola cujusque figura peculiaris, *elementi* nomen meretur; quare Elementum nunquam potest esse *idem*, nisi eadem figura gaudeat, à qua figura peculiaris *elementi* naturam mutuatur. Uti autem Elementum non potest esse *idem* numero, quod olim, nisi *eadem* numero figura donetur, sic

Figura Elementa distinguit.

Art. 13. *Corpus humanum nunquam poterit esse idem numero, nisi iisdem numero elementis constet.* Atque ita ut collecta corrupti Cadaveris miasmata *idem* numero Corpus humanum rursus efforment, non tantum debent esse eadem, quæ olim, numero corpuscula, & eadem primigenia stamina, sed etiam debent habere eandem Elementorum proportionem, eundem omnino respectivum eorundem situm, nec non eandem figuram & proprietates.

Omnes dubioprocul necesse fore fatebuntur quòd *eadem numerica materia* à dissitis Mundi plagis in organicam formam iterum coacervetur, ut *idem numero Corpus* resurgat. Dicent tamen forsan quòd non est necesse quòd *idem* numero Corpus resuscitetur, ut idem *numericus* Homo renascatur. Plurimi enim autumant, quòd quoniam omnis materia est ejusdem naturæ, sufficit quòd qualiscunque materia in Cor-

Corpus humanum diſponatur, ut *idem* Homo reſurgat; modò priſtina anima huic novo & alieno Corpori uniatur; anima enim, ut ipſi aiunt, ſola hominem tanquam forma conſtituit. *Art.* 13.

Durum tamen mihi videtur, quòd poſſet idem Homo renaſci ſine eodem Corpore. Si quid enim in redivivo homine reſurgit, Corpus neceſſariò eſſe debet. *Anima* namque *rationalis* reſurgere non poteſt, quia à Corporis mancipio ſoluta, eadem ſemper, incorrupta, & immutata exiſtit. [d] Reſurgit igitur quod cecidit, nempe Corpus. Corpus autem ex quavis materia conſtruere, non eſt extinctum Corpus reſuſcitare, ſed novum & alienum Corpus formare. Quare ut *idem* Homo regeneretur, non tantùm debet eadem Anima uniri, ſed etiam *idem numero Corpus* debet reviviſcere. Corpus enim æquè eſt pars adæquata (ut aiunt) Hominis, ac *Anima* ſeu *ſpiritus cogitans*.

Corpus eſt pars hominis eſſentialis.

Nec

*Art.* 13. Nec magis Anima potest esse Homo sine Corpore, quàm Corpus erit Homo sine Anima. Si enim *Anima* sola constitueret Hominem, Anima sine ullo Corpore foret Homo. Ac proinde opus non foret resuscitare pristinum Corpus, neque etiam ex quavis materia novum Corpus construere, ut *idem Homo* renascatur, modo ipsius *Anima* semper existat.

Nec sat erit arguere, quòd omnis materia sit ejusdem naturæ & indolis; ac proinde quòd quodvis Corpus eidem Animæ associatum eundem hominem restituet; nam omnes quoque *Spiritus cogitantes* seu *Animæ rationales*, ut vocant, consimilis sunt substantiæ, ac proinde pari ratione quævis Anima novo Corpori unita constitueret eundem hominem. Sicque, si Ego & Theobaldus meus nunc moriremur, & post obitum mea statim Anima Theobaldi Corpori denuò animato, & Theobaldi Anima meo *Corpori* uni-

uniretur, *Idem* ſemper Ego forem, & Idem foret Theobaldus; quod futile eſt & ludicrum; nam neque Ego forem idem redivivus, neque foret idem redivivus Theobaldus. Inde adhuc planè ſequeretur, quòd ut Darius ante bis mille annos occiſus iterum reviviſcat, non neceſſe foret quod priſcum ipſius Corpus aut priſtina anima in unum *Individuum* redeant, ſed ſat foret quòd nova Anima & novum Corpus crearentur; quoniam omnes Animæ rationales ſeu *Spiritus humani cogitantes* inter ſe ejuſdem ſunt naturæ quoad *ſpeciem*; & omnia humana Corpora ejuſdem quoque ſunt ſtructuræ & ſpeciei. Imo hoc aliud abſurdi ſequeretur, nempe, quod ſi quotquot hactenus fuerunt ab Orbe condito Animæ & Corpora humana, nunc in nihilum redigerentur, & totidem novæ Animæ & Corpora humana crearentur, invicem per paria aſſociarentur, & ſibi nuberent: Qui in nihilum redacti ſunt

*Art.* 13.

Debet Idem Corpus & eadem Anima uniri ut idem Homo reſurgat.

*Art.* 13. ſunt homines forent redivivi; quia novæ Animæ & creata Corpora conſimilis forent naturæ cum Animabus & Corporibus eorum, qui in nihilum redacti ſupponuntur. Nova enim Corpora cum ſimili omninò partium textura, & pari Organorum numero formari poſſunt. Animæ quoque cum *iiſdem* omnino *cogitationibus*, cum *eadem omnino ſubſtantia*, cum *eadem propenſione, cum pari conceptuum & cognitionum multitudine & numero, cum iiſdem prorſus affectibus, reliquiſque animi muniis*, quoad ſpeciei ſimilitudinem creari poſſunt.

Anima rationalis non eſt vita Corporis.

Porro, videbimus inferiùs quòd *Spiritus humanus*, qui *Anima rationalis* perperàm vocitari ſolet, nullatenus eſt forma, anima, aut vita Corporis; ſed quòd vita Corporis ab ipſo Corpore, nempe à mechanica ipſius fabrica, & ſpontaneis humorum motibus verè & unice dependet ſine ullo prorſus *Spiritûs humani* influxu aut ope. Corpus enim

enim fœtûs in utero motu vitali gaudet, antequam Anima rationalis illi cœlitùs inſunditur. Unde patebit quòd Corpus humanum eſt quid per ſe exiſtens, & vivens ſine ulla prorſus à Spiritu cogitante dependentia. Spiritus enim humanus, cùm libero agat arbitrio, vitales ſeu neceſſarios Corporis motus non gubernat, ſed eos tantùm qui voluntatis imperio ſubditi ſunt; imo hos quoque regit juxta ideas, & affectus, quos ab objectis externis per quinque *Corporis Organa* recipit. Quare tantum abeſt ut motus Corporis vitales ab *humano Spiritu*, quin imo omnia humani Spiritus munia à Corpore dependent. *Nihil eſt* enim *in Intellectu, niſi quod Corporis miniſterio per ſenſus Organa ad calloſum cerebri Corpus*, tanquam ad ſacram Palladis, in qua habitat, arcem *advehitur*. Unde quoniam Darii Corpus ante necem ſubſtantia fuit ex ſe exiſtens & vivens, & quoniam

*Art.* 13.

Darius

*Art.* 13. Darius non potuerat esse Homo sine hoc Corpore, ut *idem* Darius ad vitam revocetur, non satis erit: quòd eadem ipsius Anima redeat, sed necesse erit ut eadem Anima eidem Corpori, pristino nempe probæ suæ vel pravæ voluntatis ministro rursus associetur, ut post longum quasi iter vel exilium in suo iterum domicilio redux mancipetur.

An quodvis Corpus sufficiat ut idem homo renascatur.

Qui affirmant quòd, ut mortui reviviscant, satis est quòd Corpus ex quavis materiâ fabricetur, nobis asserunt, ut suam confirment Opinionem, quòd in brevi etiam præsentis vitæ curriculo Corpus nostrum sæpiùs mutatur, & novam ab alimentis indies ingestis accersitur. Continuò enim è toto, inquiunt, Corpore effluvia foràs exhalant & dissipantur, & novæ particulæ à nutritione suppeditatæ illorum locum replent; unde nutritio, inquiunt, est continua Corporis nostri regeneratio; ita ut nulla portiun-

cula

cula materiæ, ex qua Corpus meum ante ſeptem annos conſtabat, nunc mecum remaneat. *Idem* tamen ſum Homo, etiamſi nunc *idem* non ſit meum Corpus; ac proinde concludunt quòd iidem erunt homines è fatis redivivi, etiamſi cum priſtino corpore non renaſcantur. *Art.* 13.

Verùm Ego non video cui fundamento innitatur hæc Opinio; nulla enim experientia aut ratione demonſtrari poteſt, quòd ſeptimo quoque anno tota Corporis mei materia mutetur aut diſſipetur, & quòd nova materia ipſius locum occupet. Quinimò perſpicuè, ni fallor, probari poteſt quòd primigenia infantis ſtamina ab ortu ad obitum integra, immutata, & *eadem* perdurant. Fateor equidem quòd ab interno jugique fermenteſcentis ſanguinis calore innumera corpuſcula per habitum Corporis continuò evolant, & erumpunt. Hinc tamen arguere non licet, quòd ſubſtantia partium ſolidiorum indies

Partes ſolidæ non diſſipantur.

*Art.* 13. dies consumatur; sed quòd volatiles Sanguinis, Spirituum, & aliorum mobilium fluidorum particulæ effluant; ac proinde quòd sanguis perenni ab epulis reparatione indigeat, ut transpirantis materiæ dispendium ab assumptis quotidie alimentis resarciatur. Quare sedulò observandum est, quòd duplex est præcipue alimentorum usus. Primus, *ut humores jugiter exhalantes reparentur*, alter *ut partes solidæ nutriantur. Alimenta* in juvenibus hos duos effectus præstant, *humores reparant, & partes solidas alunt.* Unde Juvenes majorem longe ciborum copiam ingerunt, quàm senes. Dapes verò vix ullatenus senes nutriunt cum mole Corporis non crescant, sed evanescentem tantùm vitæ flammulam pabuli instar oleosi sustentant, & perituram vappescentis sanguinis fermentationem seu calorem fovent. Ut partes solidas, jamdiu satis nutritas, & præ ingruente senecta flaccescentes

in

in debita tantùm tensione pro muniis vitæ obeundis conservent. Unde senes tanta ut plurimum non indigent ciborum copia, ac famelici & crescentes in mole Corporis adolescentes. *Art.* 13.

Etiamsi ob æstuosam principorum Sanguinis luctam *Fluida* Corporis, seu humores jugiter evolent, novique humores ab affuso quotidie chylo suppeditentur, hisque rursus attritis & evanescentibus, alii novi humores per totum vitæ cursum succedant; solidæ tamen & Organicæ partes eædem semper sunt immutatæ; & tantum abest ut substantia ipsarum absumatur, quin imò à nova accedente & adhærente materia ad certum ætatis gradum in molem indies tolluntur majorem. Si enim tanta ipsorum substantia evolaret, quanta accedit, homines viginti annorum molis non forent majoris, quam infantes recèns nati. Unde patet quòd non tantùm *primæ Organorum fibrillæ* semper persistunt, sed etiam nova materia semper extumescunt. Aut si forte aliquæ paucissimæ particulæ evolarent, illæ potiùs evanescent, quæ post ortum accesserunt, quia laxiùs adhærent, quàm illæ, quæ in *semine* & in *generatione* delineatas partes constituerunt; quia hæ sibi firmiùs

*Art.* 13. & ſtrictiùs alligantur. Præterea à circumeunte Sanguine, (niſi acris nimis ſit & ſalſus, uti in phthiſicis) tanquam ab irrorante & illinente Balſamo, non tantùm aluntur filamenta totius Corporis, ſed etiam particulæ ipſorum erupturæ tanquam in viſco irretiuntur, & quaſi conditæ conglutinantur. Quod manifeſtum fit ex eo quòd, ceſſante poſt obitum Sanguinis circuitu & reparatione, omnia ſolidiorum & fluidarum partium principia, *Salina*, *Sulphurea*, *Aquea*, & *Terrea*, ſublato Sanguineo glutine, exalantur, & ſui juris facta paulatim exhalant; unde exanime cadaver in putridum quoddam liquamen diffractâ Organorum texturâ reſolvitur.

Cæterùm, quis crederet quòd ſolida oſſa ſucceſſu temporis mutarentur. Si enim ſeptimo quoque anno materia ipſorum abiret, & nova accederet, oſſa adulti viri non tantùm forent ejuſdem magnitudinis, ſed etiam ejuſdem mollitiei ac oſſa pueri ſeptennis. Videmus adhuc quòd oſſa per quædam ſæcula poſt mortem integra & incorrupta perdurant, etiamſi ventis, pluviis, aliiſque temporum injuriis, in cœmeteriorum præcinctibus ſint expoſita; ac proinde multò magis intra carnes & membranas

inclusa,

inclusa, & à balsamico cruore irrigata, per brevem vitæ cursum, nisi virulenta carie corrosa sint, integra perdurabunt. *Art.* 13.

Non diffiteor quin tota Corporis nostri moles à Febre ardente, Phthisi, vel alio morbo, vel ab aggravante senectute sensim extenuetur. Inde tamen inferre non datur, quòd solidiorum partium substantia paulatim absumatur. Musculi enim emaciatorum hominum, si Corporis statura respondeat, non sunt minoris molis quàm musculi pinguiorum. Nam si obesi Hominis Musculi aqua per vascula injectâ lavarentur, & à grumoso Sanguine expurgarentur, graciles evadent. Pingues igitur non fiunt ideo macilenti quia partium solidiorum substantia consumitur, sed quia tota ipsorum pinguedo, quæ in millenis folliculis & *vasis adiposis* per totum Corpus disseminatis continetur, & eadem distendit, eliquatur. Unde *vesiculæ adiposæ*, quæ ambientes carnes, turgidæ ipsæ, tumefecerunt, collapsæ subsidunt; & cutis in rugas, imo tota Corporis moles, remanentibus tamen iisdem fibrillis & fibrillarum particulis, contrahitur. Cum igitur pateat, quòd si non fortè omnes, saltem pleræque

Quomodo Homines senio vel morbis confecti emaciantur.

*Art.* 13. ſtaminum Corporis noſtri particulæ à pueritia ad ſenectam uſque nobiſcum perſiſtant, Corpus noſtrum toto vitæ curſu erit idem immutatum. Ac proinde Homo redivivus ex eodem priſtino Corpore, & eadem *numero* anima rurſus conſtare neceſſariò debet, ut idem, qui fuerat olim, Homo vocitari jure mereatur.

Ut idem Corpus renaſcatur, non neceſſe eſt ut eadem materiæ quantitas reſurgat.

Ut autem *idem* numero Corpus humanum denuò redintegretur, non opus eſt ut tota eadem materiæ moles & quantitas, & idem elementarium partium numerus iterum ſibi adaptetur & reſurgat; ſed ſufficit ut earundem partium tanta quantitas invicem admiſceatur, quanta requiritur Organico Corpori conficiendo; ut enim idem ſit Corpus Organicum, non neceſſe eſt ut habeat eaſdem omninò dimenſiones, aut molem, aut pondus; ſed ut habeat eandem materiam cum eadem *Organorum* fabrica, ſitu, & numero. Quod ut clariùs elucelcat, ſupponamus ampliſſimam quandam planitiem in qua ducenta hinc inde hoſtilis exercitûs millia æquo certamine acriùs pugnarunt; eſto, quòd poſt contumax & acre prælium centum mille Homines ex utraque parte perierint. Sepeliantur deinde cada-

vera,

vera, non in uno tumulo, sed per campum passim pro fœcundanda tellure dispergantur; unumquodque cadaver effossâ leviter glebâ cooperiatur. Muro cingatur spatiosum hocce *Cœmeterium*, & in duas partes interpositâ sepe dividatur. Una pars arata fructus & frumenta proferat, altera pascat pecudes; quibus in pascui medio excavabitur fons epotandus. Dubioprocul hic campus humana carne sic saginatus copioso frumento & petulante pecude luxuriabit. Sint plures familiæ quæ per centum aut ducentos annos nullum aliud alimentum sument, nisi quod ex hoc agro desumetur; & quæ præterèa solæ totum id alimenti consument, quod ex hoc campo enascetur. Materia seu Elementa corruptorum cadaverum in armenta & vegetantia transibunt, & ex his utrisque in Homines, qui iisdem vescuntur; atque ita substantia, seu Corpora ipsorum, aliqua ex parte ex putrefactis cæsorum Hominum cadaveribus constabit. Supponamus hos omnes post mortem ad vitam redituros. Vel supponamus aliquem *Anthropophagum* humanâ carne toto vitæ cursu pastum, post obitum humi sepultum, & post multa sæcula redacto in pulverem Corpore, ad pristi-

*Art.* 13.

Anthropophagi.

*Art.* 13. priſtinum vitæ ſtatum rediturum, & reditura pariter Corpora eorum quibus ipſe, & memorati jam antea Homines paſti fuerunt. Certum erit quòd vel *Sarcophagorum* Corpora, vel Corpora comeſtorum Hominum rediviva, aliquid de priſtina materia carebunt; ac proinde alterutra cum minori quam olim, materiæ quantitate & mole reſurgent. Omnes tamen erunt completi Homines & integris Corporibus donati.

Hucuſque probavi ſatis quòd *Corpus redivivum* ex eadem debet materia conſtare, ex qua olim conſtructum fuit; probavi quoque quòd etiamſi ex eadem materia conſtrui debeat, non neceſſe eſt quod cum tota eadem materiæ quantitate rurſus conſtruatur: Nunc autem paulò altiùs inquiramus ſub qua mole aut magnitudine, *cum qua*, inquam, *materiæ quantitate*, rediturum eſt. Quod ut ſolerti indagine conjiciamus, advertendum eſt quòd alii in utero matris extinguuntur; alii poſt ortum adhuc infantes pereunt; juvenes alii, alii ſenes, hi artubus truncati in bello, illi ulceribus & fiſtulis eliquati; quidam gangrena, carie, lue venerea corroſi; alii tabe emaciati, alii denique internis morbis debellati emoriuntur. Quidam itaque

exiſti-

existimant, quòd *Corpora debent revivisceré cum eadem mole & cum eadem materiæ quantitate quâcum sepulta sunt.* Alii verò, imo plerique malunt asserere quòd *Corpora omnia* grandiori & robustiori mole donata erunt, & *cum eadem magnitudine & materiæ quantitate renascentur, quâcum nos circa trigesimum ætatis annum exturgemus.* *Art. 13.*

Videamus tamen num utraque hæc opinio, aut alterutra, veritatis avidum satiare valeat. Quoad primam sententiam, haud facilè quisquam credere poterit, quòd Corpora nostra resurgent cum tota eadem materia, aut in eodem statu, cum quibus mortua sunt, & telluri mandata. Sic enim Anthropophagi & comesti Homines cum eadem Corporum statura renascerentur, cum qua primùm obierunt; quod fieri non potest, ut antea innuimus. Præterea hoc modo illi qui artubus erant orbi, & quorum substantia ulceribus aut *causticis* humoribus ante obitum erat absumpta, sine quibusdam partibus, aut sine tota partium substantia regenerarentur. Unde hic sine manibus, ille sine alterutro pede, alter sine palato, lue venerea infecti sine naso, aut ossibus; cæcati sine Oculis, & plurimi variis partibus

Corpora non resurgent cum tota illa materie qua moriuntur.

*Art.* 13. manci resurgerent; ac proinde ad vitam reduces toto Corpore non forent integri, quod rationi consonum non censebitur.

Homines non resurgent cum trigenarii Hominis statura.

Secunda quoque opinio rationi arridere non videtur. Quomodo enim tenelli Infantes, qui cum parvâ Corporis mole mortui sunt, cum trigenarii Hominis statura resurgerent? Magnitudo ipsorum aut statura augeri nullatenus potest, nisi aliena & heterogenea materia addatur. Cui autem usui, aut cui fini nova materia accerseretur? Ut forsan moles Corporis tumescat. Cui autem usui tanta Corporis moles? Ut forsan robustior renascatur Homo. Ad quid verò inservit tantum robur & fortitudo? Nullum tunc grande opus moliendum. Nullæ tunc condendæ aut muniendæ urbes; nullum bellum gerendum. Nullæ extruendæ turres. Nullæ construendæ ædes aut naves. Nulla inaranda tellus. Nullo superciliorum sudore vivendum. Nulli unquam suscipiendi labores. Quid igitur tam strenuæ prodessent vires? Quid opus tanta Corporum redivivorum statura aut mole? Ut forsan cogitationes, & reliqua animæ munia meliùs perficiantur; ut forsan *Ratio* vivaciùs corroboretur; ut forsan plures

*ideæ,*

*idea*, & *rerum conceptus* animæ suppe- *Art.* 13.
tant. Quis verò affirmare audebit, quòd *Animæ vires*, *conceptuum* nempe, seu cognitionum multitudo, & *rationis* vivacitas, ex viribus Corporis mensurabuntur? Etiì *Nani*, & *Homunciones* Gigantibus Corporis viribus, & mole cedant, cognitionum tamen numero non cedunt. Quinimo parvitas Corporis & debilitas exuperante ingenii fœcunditate utplurimùm compensatur. Corpus enim nostrum post ortum non extumescit mole, ut Animæ operationes meliùs peragantur, sed ut debita sit præditum fortitudine; ut arduis, quibus subjacet, laboribus idoneum reddatur. Uti enim *motus quantitas ex quantitate materiæ*, sic quoque *Corporis robur ex mole Corporis metitur*. Cum igitur redivivum Corpus his non sit ampliùs obnoxium laboribus, pristina opus non habet statura aut dimensione. Cùm *Anima* quoque ad Corpus redux, quas novas acquirit ideas aut cognitiones, vel quas olim acquisivit, in rationis normam conjungat, & disponat, easdem sub qualicunque Corporis mole disponere poterit.

Quare crescit Corpus in mole?

Nec urgeat aliquis, quòd *crescente Corporis mole Animæ operationes vividiores fiunt*, & *conceptuum numerus augetur*;

non

*Art.* 13. non ideo enim augetur quia crescit Corpus, sed quia Homo diutiùs inter Homines versatus est, & Organa sensuum diuturniori tempore objectis externis assuefacta sunt. Quorum objectorum impressiones in quinque Organa, externarum rerum, præcipuè Corporum, imagines Animæ quasi in speculo repræsentant. Cæci enim ab ortu, surdi, & muti, etsi paulatim mole Corporis turgeant, quia tamen sensuum exercitio destituti sunt, nullas *rerum ideas* concipiunt, aut saltem nullo indicio aut signis sese percipere demonstrant.

Ex his igitur omnibus haud levis conjiciendi ansa offertur quòd παλιγγένεσοι Homines, neque in eodem statu penitus, in quo mortui sunt, neque cum trigenarii Hominis mole aut magnitudine resurgent. Sed judicare fas est, quòd *Corpus redivivum* omni superflua spoliabitur materie, & tanta duntaxat constabit materiæ copia, quanta requiritur muniis Animæ & Corporis obeundis.

Cum qua mole renascemur.

Hujus igitur ego sum sententiæ quòd *mortui renascentur cum eodem Corpore & cum eadem materiæ quantitate cum qua primò nati sunt*, imo forsan & cum qua *in utero generati* sunt. Major enim non requiritur materiæ quantitas ut Anima

Corpori

Corpori reuniatur, quàm necessaria olim fuit, ut in prima generatione ipsi associetur. Creditur autem ab omnibus ferè sagacioribus viris, quòd *Spiritus*, seu *pars hominis cogitans*, quæ *rationalis Anima* ab ipsis nuncupari solet, *tenello fœtûs in utero vivescentis Corpori adhuc pusillo cælitùs infunditur.* Si igitur Corpus humanum, sub illa minima mole, in primâ ipsius genesi Animam in sinu suo tanquam in proprio domicilio recipiat & amplectatur, cur non eandem *Animam* Corpus idem redivivum sub pari quoque materiæ quantitate resumat. Unde si Corpora nostra ad vitam reditura sunt, non cum tota illa qua moriuntur materia renascentur, sed tota hac post primum ortum acquisita aliena materie spoliata, cum genuina staminum primigeniorum materia tanquam ex proprio semine iterum formata pullulabunt. Quare omnes erunt æqualis magnitudinis, omnes erunt cum iisdem partibus, cum quibus geniti fuerunt, integri Homines, etiamsi *Pumiliones* & μικροσωμαΐα. Quamvis dixerim, quòd Corpora nostra ex suo [c] *semine* renascentur; non dico quòd hæc *semina integra & incorrupta* (ut quidam existimarunt) *per plura sæcula in tellure conserventur*; nullum

*Art.* 13.

*Art.* 13. lum enim eſt aliud ſemen Corporis noſtri præter *primaria ſtamina* in utero matris delineata. Hæc autem omnia ſtamina & Organa in tellure corrumpuntur; ſeu quod idem eſt, in minimas particulas diſſolvuntur. Hæ autem particulæ ſic diſſociatæ, iterum in priſtinum ordinem diſpoſitæ, priſtinum Corpus quaſi ex proprio ſemine recondent.

Cùm ex allatis hactenus argumentis inferre meritò fas ſit, quòd *redivivi Corporis* moles minor longè erit quam vulgò fore exiſtimatur; liceat quoque ulteriori ſcrutinio inveſtigare, an ad minorem adhuc molem redivivum Corpus reducetur. Quare, perpendere neceſſe erit an cum omnibus partibus, & Organis, quibus nunc conſtamus, tunc renaſcemur. Credibile mihi videtur quòd *Corpus noſtrum reſurget tantùm cum iis partibus quæ ad vitam conſtituendam & conſervandam omninò neceſſariæ ſunt.* Hic intrà videbimus quòd *vita Hominis in ſenſu & motu voluntario conſiſtit*, & quòd *vita Corporis humani in reſpirationis, Cordis, Sanguinis, & fluidi Nervei motu involuntario ſita eſt.* Unde conſtrui iterum debent omnes partes quæ utrique motui, & ſenſui producendo inſerviebant;

Homo non reſurget cum omnibus partibus.

bant; uti quinque *Sensus Organâ*, *Musculi* omnes, partes quibus Musculi affiguntur, & quæ totam Corporis fabricam fulcri instar sustentabant; qualia sunt *Ossa* & *Ligamenta*. *Cor* quoque, *Arteriæ*, *Venæ*, *Nervi*, *Cerebrum*, & *Tegumenta* construi iterum debent. Quinque enim Sensuum ministerio Anima debet externarum rerum imagines percipere. Musculorum ope motus omnes, tum ii qui voluntatis arbitrio subditi sunt, tum illi qui voluntatis imperium respuunt, producentur. Necesse est ut Sanguis à redivivo Corde propellatur; ut propulsus Sanguis in Venis & Arteriis agitetur & circuletur; ut Spiritus Animales in cerebro secernantur; ut secreti Spiritus per Nervos ad omnes Corporis partes scaturiant motum & sensum largituri. Ut denique Tegumenta totum Corpus cingendo partes omnes in debito situ, involucri instar, conservent. *Art.* 13.

Reliqua autem Organa, præter recensitas jam, sine quibus vivere non possumus, partes, in redivivo Corpore superflua forent. Uti sunt partes omnes quæ præparando Chylo, & secernendis à Sanguine humoribus destinatæ sunt. Tunc enim opus non erit alimentis; unde Redivivus Homo non manducabit.

*Art.* 13. de opus non erit digestione aut Sanguinis reparatione; ac proinde nulla fiet humorum recrementitiorum aut excrementitiorum à Sanguine secretio aut filtratio. Cùm enim Hominis redivivi Sanguis ab alimentis non reparetur, si fieret humorum ab ipso secretio, tota ipsius massa citò exhauriretur. Hinc sequitur quod non est necesse ut cum Corpore ad vitam reduce *Pharynx*, *Oesophagus*, *Stomachus*, *Intestina*, *Mesenterium*, *Pancreas*, *Jecur*, *Lien*, *Renes*, *Vesica*, *Partes genitales utriusque Sexus*, *Thymus*, *Parotides*, *Amygdalæ*, *Glandulæ Ullæ* (præter cerebrum) *aut Filtra*, *Adeps*, *Lymphæductus*, *aut ulla vasa excretoria*, præter Nervos, redintegrentur. Hæ enim omnes partes in redivivo Corpore nulli omnino inservirent usui.

Redivivus Homo non respirabit.

Imo neque partibus Respirationi dicatis opus erit, quia regeniti Homines nulla indigebunt respiratione. Ideo enim nos in hac vita respiramus, *ut Spirituum Animalium jugiter evolantium jactura ab aereo pabulo resarciatur, & ut languescens post circuitum Sanguis ab admixto aere attenuetur.* Nullum autem tunc fiet Spirituum aut Sanguinis dispendium, neque partium solidarum à Sanguine nutritio; sed una eademque, quæ

quæ renata est, Sanguinis, Spirituum, *Art.* 13.
& partium solidarum materiæ quantitas, incorrupta semper, & in perpetuum immutata *juxta secundam Legis motus suspensionem*, perdurabit. Quare *Larynx*, *Trachea Arteria*, *Pulmones*, *Diaphragma*, *Costæ*, *Pleura*, *omnes respirationis Musculi*, erunt inutilia. Corpus itaque redivivum non tantùm tota post ortum advenâ materiâ, sed etiam ab omnibus fæculentis partibus expurgatum, & superfluis Organis, tanquam exuviis, spoliatum, ad minimam molem reducetur & volumen; nec desinet esse totum & integrum Corpus humanum, quia omnibus partibus in hoc statu ad vitam necessariis constabit Homines igitur, qui cum [f] *Naturali*, seu ponderoso & crassiori *Corpore* olim obierunt, cum [g] *Spirituali* quodam Microsomate seu pusillo *Corpusculo*, passerum forsan, imò forsan & Muscarum instar, leves maximè, agiles, & summè mobiles renascentur.

ARTIC.

## ARTIC. XIV.

### *An multiplex potest esse Corporis humani Præsentia.*

*Art.* 14. QUoniam plurimi hactenus asseruerunt quòd Corpus humanum posset esse in pluribus locis in eodem tempore; & alii firmiter affirmarunt quod ne etiam divinitus multiplicari posset ipsius præsentia; haud abs re fore existimavi utrorumque argumenta hîc loci perpendere, ut videamus an cum ratione, aut cum Corporis nostri fabricâ conciliari possent. Quòd ut rite peragam, pro fundamento statuo, quòd omnia argumenta quæ hactenus allata sunt, ut multiplex Corporis nostri præsentia probetur, non tantum rationi, sed etiam Corporis cujusvis, præcipue *Organici*, naturæ & structuræ penitus repugnant. Illa autem Argumenta, quæ vulgò solent afferri, ut refellatur ipsius πολυσωμία, vera & consona esse reperio. Quare juxta modum quo vulgò solet ab utrisque proponi hocce *problema*, *Corpus humanum in duobus locis nullatenus esse potest.*

Quod

Quod ut clariùs pateat, liceat nobis hic fusiùs inquirere, quot modis humanum Corpus non potest totum esse in pluribus locis in eodem tempore. *Art.* 14.

1. *Corpus humanum* sex pedes longum, tres pedes in circuitu latum, & centum libras grave, *nullatenus potest esse cum eodem pondere, cum eadem dimensione, & cum eadem quantitate materiæ, in duobus locis simul.* Nec etiam minimum Corpus, uti *granulum arenæ*, vel auri, ex decem atomis vel particulis Elementaribus constans, potest esse cum iisdem particulis integris & indivisis in duobus locis in eodem tempore. *Omne* enim *Unum, ita Unum est, ita sibi intime præsens est, ita in se indivisum, ita ab omnibus aliis verè separatum, ut à seipso removeri, extra se poni, aut à seipso distare non posset*; ac proinde in duobus locis esse non poterit, nisi successivè, unum idemque *numero* Corpus. Si enim Corpus centum libras grave fuisset cum eodem *pondere*, *dimensione* & cum eadem quantitate materiæ in duobus locis simul, non tantùm idem Corpus foret duo Corpora, sed etiam centum libræ forent ducentæ. Cum autem *pondus Corporum ex materiæ quantitate mensuretur*, duplicari aut multiplicari non potest pon-

*Art.* 14. dus, quin duplicetur, aut multiplicetur materia. Ac proinde centum libræ non possunt fieri ducentæ, nisi materia centum libras gravis addatur.

Fateor equidem quòd Corpus centum libras in uno loco aut tempore pendens, in alio loco aut tempore poterit nihil, aut saltem minùs pendere, (uti in barometris videre est) si à nullâ, aut saltem leviori ambiente materia deorsum prematur. Gravitas enim, aut levitas, aut ullus alius motus non sunt aliquid Corporibus insitum aut innatum, sed externus tantùm ambientium Corporum impulsus; quo impulsu sublato, Corpus nec gravitabit propriè, nec levitabit, sed in inani spatio immobile, & quasi suspensum persistet. Fateor pariter quòd in quodam sensu poterit Corpus esse cum eodem pondere in duobus locis. Si enim Corpus sex pedes longum, & centum libras grave, in duas partes æquales dividatur; & quælibet pars in duobus locis seorsim ponatur; poterit quælibet pars pendere centum libras, si vis deorsum impellens duplò major fiat. Ac proinde illæ duæ partes pendebunt ducentas libras. Unde *Idem* Corpus hoc modo divisum poterit quodammodo esse in duobus locis cum eodem

dem pondere duplicato aut triplicato. *Art.* 14.
Quælibet quoque ejusdem divisi Corporis pars ita expandi potest & rarefieri intùs, ut in suo quæque loco sit sex pedes longa, & tres pedes in circuitu lata. Unde idem Corpus poterit quodammodo esse cum eodem pondere & dimensione, nunquam verò cum eadem materiæ quantitate in pluribus locis in eodem temporis momento.

2. Diversæ Corporis nostri partes in pluribus simul Europæ locis seorsim locari possunt. Caput potest esse in Græcia, una manus in Italia, altera in Dania, truncus in Germania, pes unus in Anglia, alter in Gallia; & in diversis hisce locis in debito situ, & in respectiva quâdam distantia extensæ, humani Corporis formam imitari quodammodo possunt. Ex hoc tamen concludi non potest, quòd unum idemque Corpus sit in diversis locis; sed quòd unius ejusdemque Corporis diversæ partes in pluribus locis dispersæ sint. Hic autem non inquirimus utrum Corporis alicujus separatæ partes possunt esse in pluribus locis simul, hoc enim unicuique clarum patet; sed utrum idem Corpus humanum potest esse totum & integrum cum omnibus suis partibus in di-

*Art.* 14. versis locis, & cum omnibus partibus in singulo quoque loco in eodem tempore.

3. Partes Capitis in Græcia, Truncii in Germania, manuum in Italia & in Dania, Pedum in Anglia, & in Gallia, ita expandi & rarefieri possunt, ut in contiguitate quadam respectiva, & symmetrico quodam situ distensæ, unum latè per aera diffusum, rarefactum, invisile, & quasi umbratile Corpus efformare quodammodo videantur. Hic quoque Corporis status nostro proposito non respondet. Namque hæ partes sic expansæ neque *Unum*, neque *Organicum*, neque *Vivum Corpus* conficiunt. Ut enim *unum* Corpus efforment, deberent esse unitæ & continuæ; ut *Organicum*, deberent non tantum cohærere, sed etiam in diversas formas & machinulas, Cor nempe, Pulmones, Cerebrum abire; ut *Vivum* denique Corpus construerent, necesse foret, ut non tantùm Organicas texturas efformarent, sed etiam ut spiritibus & circumeunte Sanguine irrorarentur & moverentur.

4. Pes aut manus Corporis mei in plures minores & adhuc minores partes, quasi in *taleolas*, aut frustula abscindi potest. Unumquodque frustulum

mutari,

mutari, & disponi potest in Corpus humanum integrum & vivum. Sicque ex uno Corpore humano construi possunt plusquam centies centum mille Corpora humana integra (etsi *seminei* instar *germinis* exigua forent μικροσώματα) & in centies centum mille Mundi locis locari possunt in eodem tempore. Quorum unumquodque *integrum* erit, & *vivum* Corpus humanum; & si nova *Anima* rationalis addatur, novus erit atque integer Homo. Hoc quoque modo non concipitur quòd Corpus *meum totum* & integrum sit in pluribus locis in eodem tempore; etiamsi in singulis hisce locis integrum sit Corpus Organicum ex Corporis mei materia constructum. Si enim digitus meus in Corpus Organicum integrum & vivum mutetur, meum Corpus non erit integrum, sed tantum pars mei Corporis in diversas texturas mutato particularum situ conversa. Nam neque est meum Caput, neque meum Cor, neque Stomachus, neque Truncus, neque Artus. Ut enim hæ partes sint *meæ*, deberent confici ex eadem numerica materia in eundem ordinem disposita, ex qua meum Caput, Cor, Ventriculus, Truncus, & Membra jam constructa sunt. *Art.* 14.

*Art.* 14. 5. Plurimi contendunt quòd *Meum* vel *Theobaldi Corpus potest esse in pluribus locis in eodem momento per Reproductionem*, ut ipsi loquuntur. Dicunt enim quod caro, vel *Panis*, in pluribus, imò millenis locis à Theobaldo vivente dissitissimis, *converti possunt in verum & integrum Theobaldi Corpus*; ita ut minima carnis alicujus Animalis, aut panis portiuncula, etiamsi pondus unius grani non superet, non tantùm convertatur in substantiam Corporis Theobaldi, uti solet alimentum vulgare; sed etiam ipsa fiat tota ipsius substantia. Et millenæ aliæ carnis vel panis portiunculæ fiant quoque tota ipsius substantia in millenis Mundi locis à se invicem remotissimis in eodem tempore.

Hoc autem mentem humanam superat, & Corporis viventis naturam evertere videtur. Fateor quidem quòd portiuncula Carnis, panis, imò ligni, aut saxi converti potest in integrum, Organicum, & vivum Corpus humanum; non concedam tamen quòd fieri posset integrum meum Corpus, dum ipse vivo. Nihil enim potest fieri totum meum Corpus, quia totum meum Corpus efformatum est, & vivit. Minima porrò, illa carnis, vel *Panis* portiuncula tan-

tantam materiæ quantitatem continere *Art.* 14.
non potest, quantam continet solita Corporis nostri moles; Unde ut totum meum Corpus efformet, nisi sub minimâ mole contineri valeat, nova materia superaddi debet, ut *creati Corporis moles* extumescat. Præterea, si tot *Panis* portiunculæ, & tanta panis vel alterius materiæ massa in tam dissitis, & in tam innumeris Mundi locis in meum Corpus converti possent, omnia totius Universi Corpora in meum Corpus mutari possent, ac proinde totus ipse *Universus* meum Corpus fieri posset; quod vix quisquam credere poterit.

Cæterùm, ille *Panis*, aut caro, non potest evadere tota Corporis mei substantia, nisi ipsa facta fuisset priùs ex totâ Corporis mei materiâ; quod fieri non potuit, quia Corpus meum cum tota sua materia adhuc integrum & vivum est. *Conversio* igitur *carnis, vel panis, in Corpus humanum, est potiùs novi & alieni Corporis Creatio, quàm vera Corporis mei Reproductio.* Corpus enim illud ex portiuncula panis constructum, non magis potest esse meum Corpus, quàm Corpus infantis hodie vel heri nati potest esse meum Corpus. Ac proinde meum Corpus in pluribus locis per

*Art.* 14. hujusmodi reproductionem multiplicari nunquam poterit.

6. Demùm, Mater, quæ peperit plures Infantes, qui vita fruuntur, non dicetur habere suum Corpus in pluribus locis in eodem tempore; quia quilibet infans non est totum ipsius Corpus, sed *pars* tantùm; imò *pars* ritè dici non debet, quia neque Infans, neque *Germen* aut *Semen*, ex quo infans formatur, ulli inservit usui in Corpore Muliebri; sed alienum quodammodo est Corpus propagandæ speciei propriè destinatum.

Etiamsi quoque Corporis virilis [a] *Costa* in Corpus Muliebre totum & integrum convertatur, Corpus tamen virile non dicetur esse in duobus locis, quia Corpus Muliebre ex viri *Latere* extractum, etiamsi in se totum & integrum sit, est tamen pars tantùm Corporis virilis. Præterea, Corpus *Muliebre* novâ Animâ gubernatur, cujus Animæ nutu & imperio, omnes saltem voluntarii motus peraguntur. Unde Corpus Muliebre simul cum suo *Spiritu cogitante* non tantum differt à Corpore virili, sed etiam distinctam personam efformat. Corpus enim Muliebre Animæ suæ nutui subditum, omne viri jus & imperium respuit, nisi quantum connubii Lege obstringitur.

Quum

Quum ante quosdam Annos mecum *Art.* 14.
seriò perpenderem, quòd in Humano Corpore nihil reverà sit præter *materiam* diversâ figurâ & mole donatam, existimavi, quòd nullus posset esse ipsius *Status super naturam*, qui mente concipi non posset. Concipere tamen haud potui ullatenus, quòd *idem numero Corpus* humanum cum tota sua materia aut mole posset esse in pluribus locis in eodem tempore. Nec etiam ullo alio modo hactenus allato multiplicem posse esse ipsius præsentiam reperi. Postquam autem in *Medicinæ Principiis* versatus, *Materiei* naturam, differentias, & figuras perpenderim; postquam *Chymiæ* ope *Elementares* Corporis humani *particulas*, *Terræ* nempe, *Aquæ*, *Salis*, & *Sulphuris Atomos* inspicerem; postquam *Anatomes* auxilio Corporis humani fabricam ex vasculis & *fibris* vascularibus totam contextam esse reperirem, postquam in Humorum texturam, circuitum, & effervescentiam inquirerem, nec non mirum ipsius ex pusillo *Germine* ortum exploratem, post diuturnum, inquam, per devias Naturæ salebras scrutinium, dum fortè de exilibus *Embryonis* staminibus, & de diversis nutritionis gradibus cogitarem,

clarè

*Art.* 14. clarè tandem & perſpicuè concepi, quòd *Meum vel Theobaldi Corpus, operante Numinis potentiâ, novo quodam, ſed unico tantùm modo, & in peculiari quodam ſenſu, ita verè multiplicari poſſet, ut integrum & vivum poſſet eſſe in pluribus diſſitiſſimis locis in eodem temporis momento, non tamen cum ſolitâ magnitudine.* Quamvis tamen conciperem quòd Theobaldii Corpus poſſet eſſe in pluribus locis in eodem tempore vivum & integrum, concipere haud potui quòd *Anima* ipſius ſeu *Spiritus cogitans*, quòd inquam ipſius perſona, ſeu totus ipſe Theobaldus poſſet eſſe in duobus locis in eodem tempore; quin imò reperi quòd *unus Homo non poteſt eſſe totus ſimul in duobus locis in eodem inſtanti.* Deinde mei diffidens judicii Opinionem hancce plurimis ingenuis, probis, & eruditis viris patefeci, qui, re penitùs diſcuſſa, idem mecum ſenſerunt. Quidam autem ex illis, qui perſpicaciori trutinâ hanc ſententiam perpenderunt, qui eandem cum ſtabilitis jam Opinionibus compararunt, & ad minutiſſima quæque ipſam latiùs extenderunt, cùm à reliquorum omnium ſententia ipſam penitùs diſcrepantem reperirent, exiſtimarunt, quòd novis inter Literatos litibus, bellis in-

inte-

teſtinis, &, neſcio, quibus non forſan *tumultuoſis Erroribus* originem daret; quare ſuaſerunt & obſecrarunt ut ipſam publici juris non facerem; ut itaque pacificis ipſorum votis, pacis ipſe amans, reſponderem, nec tutum aliis, nec congruum mihi fore viſum eſt enodatum hocce problema promulgare. *Art.* 14.

---

## ARTIC. XV.

### *De Statu Animæ ſecundùm Naturam.*

HOmo non tantùm ex *Materiâ*, ſeu *Corpore*, in multiplicem Organorum ſeriem diſpoſitâ, ſed etiam ex *Spiritu*, ſeu ſubſtantia quadam *cogitante*, *Anima rationali* dicta, ſimul unitis componitur. Miracula quoque non in humano ſolùm Corpore, ſed etiam in *Anima rationali* producta ſunt. Quare, explicatis Corporis *Miraculis*, *Status Animæ ſuper naturam* quanta poſſumus perſpicaciâ illuſtrare pariter neceſſe erit. Quemadmodum autem neceſſe fuit ſanum & morboſum Corporis humani ſtatum prælibare, ut ſtatus ipſius ſuper naturam eluceſcat, ſic quoque *Statum* *Art.* 15.

*Animæ*

*Art.* 15. *Animæ secundum Naturam* præmittere hic oportebit, ut clariùs innotescant ea, quæ de *Miraculoso ipsius statu* dicturus sum.

Omnes hodie sanioris judicii Philosophi, ipsa rei veritate convicti, faterii coguntur, quòd *Spiritus Hominis*, seu *Anima Cogitans*, ab ejusdem materiâ, quoad substantiæ speciem, longè discrepat. Concipi enim non potest, quòd materia huic nostræ similis *Ideas* seu Rerum corporearum *Imagines* sibi formet, quòd *Ideas* easdem simplices in *Rationis* formam conjungat, quòd præteritarum rerum recordetur, quòd de absentibus cogitet, quòd de futuris judicet, quòd de abstractis & *Metaphysicis* rerum conceptibus disputet, & de supremi sui Authoris attributis disserat. Quare *Spiritus humanus* sublimioris longe indolis, & quasi *Divinæ Naturæ particula* credenda est. Quid autem *Spiritus* reverà sit, non patet. Sub nostros enim sensus non cadit; illum neque longum, neque latum, neque profundum, neque figura ulla aut loco circumscriptum, neque divisilem, neque ullis partibus instructum, neque ulli sensili materiæ ullatenus similem reperimus.

Anima describi non potest.

Si

Si quis diceret quòd *Spiritus est substantia immaterialis & indivisilis*, idem est ac si diceret Spiritus non est materia; hoc autem veritatis avidum non satiaret, quia denotat tantùm quid non sit, non autem quid verè sit ipsius natura. Si enim percontanti alicui, *quid sit materia*, responderetur, quòd est *substantia non cogitans*, dubio procul non foret hoc responso satisfactus, quia genuinam *materiæ naturam* non describit. Quis præterea audebit asserere quòd *Spiritus humanus* non sit sui generis ὑλη, seu *Materia?* Fatentur enim omnes quòd est *Substantia*, seu *quid per se existens*; Substantia autem omnis debet necessariò habere aliquam suæ naturæ *materiam*, seu ex aliqua re constare; quia nihil potest ex nihilo fieri. Atque uti *Aqua Mineralia & Vegetantia, Spiritus vini Aquam, Aer ipsum Spiritum, Æther aerem, Materiæ subtilitate longe excedit, sic Anima forsan rationalis, materiæ suæ tenuitate, subtilitate, levitate, mobilitate, agilitate, & pluribus aliis proprietatibus ætherem ipsum longe superare censebitur* ab iis, qui *Materiæ Naturam* in crasso & vulgari sensu non intelligent.

*Art.* 15.

Anima rationalis est sui generis Materia.

Quidam affirmant quòd *Spiritus humanus* nihil aliud *est* quam *Cogitatio* seu

*Sub-*

*Art.* 15. *Substantia* actu *Cogitans.* Perperàm tamen; quia *Spiritus* semper non cogitat; fœtus enim, infantes recèns nati, apoplexiâ correpti, crapulâ sopiti, vel sponte suâ dormientes nullatenus cogitare videntur; nulla namque ratione, nullo indicio, nulla experientia, &, quod majus est, nullo ipsorum testimonio cogitare illos probari potest. Quin imo multis argumentis probari potest, quod ab omni cogitatione in somno feriantur. Si enim aliquis in somno vel veterno cogitaret, non dormiret propriè, sed suæ cogitationis foret conscius, & vigilaret, (ideò enim homines vigilare dicuntur, quia cogitant) aut saltem ex somno excitatus, cogitationis suæ reminisceretur, uti plerique recordantur somnia. Qui verò ex Apoplexia forti reviviscunt, etiamsi caro ipsorum forcipibus fuerit vellicata, & tantum non dilaniata; etsi candente ferro cutis fuerit combusta, pili divulsi, scapulæ cum cucurbitulis incisæ, & etiamsi mille modis fuerint cruciati, nihil tamen aliquando se sensisse affirmant, nec de ulla alia re se cogitasse recordantur. Quare obvium cuique patet quod Spiritus hicce semper non cogitat; ac proinde natura ipsius non est *Cogitatio*; sic enim cessante *Cogitatione* periret. Fa-

Anima non est Cogitatio.

Anima semper non cogitat.

Fateor tamen quòd præcipua *Spiritûs proprietas est Cogitatio*, uti præcipua Corporis proprietas est *motus*. Quemadmodum autem Corpus aliquando potest esse sine *motu*, sic etiam *Spiritus potest nonnunquam esse sine Cogitatione*. Atque *uti omnes Corporis effectus à solo motu, sic omnes Spiritus effectus à sola Cogitatione peraguntur*. Uti quoque suprà asseruimus, quòd omnis motus à supremo rerum Conditore unicè & immediatè, concurrente tamen Corporum contactu & impulsu, producitur; sic omnes *cogitationes & conceptus* ab eodem *Supremo Numine*, adjuvante quidem sensuum & organorum ministerio, in Spiritu excitantur; & diversæ *Animæ cogitationes* sunt totidem ejusdem *Modi*, uti diversæ *motûs* species sunt diversi Corporum *modi*. Ac proinde non minus absurdum est dicere quòd *Anima* sit *Cogitatio*, quàm quòd Corpus sit Motus; cùm *Cogitatio* & *Motus* pari respectu sint peculiares utriusque *Modi*.

*Art.* 15. Animæ proprietas est Cogitatio.

Cum itaque Spiritus propriè Cogitatio non sit, sed *Cogitationis author*, sedes, vel subjectum, instituti nostri ratio hîc loci postularet ut naturam illius ulteriùs investigemus. Quoniam autem

*Art.* 15. autem τὸ πνεῦμα nostrum, sive *Spiritus* quinque sensuum, imò sui ipsius scrutinio subjici non potest, sui ipsius captum superat; sicque Spiritus ille, qui reliqua omnia capit & describit, sui ipsius naturam describere non potest. Id tantum de Animæ natura scimus, quod sciamus de ipsa nos nihil scire. Scimus quidem quòd cogitamus, & conscii sumus quòd Cogitatio hæcce nobis intùs in cerebro insit; quid verò Cogitatio ipsa verè sit, aut quænam sit vera substantiæ cogitantis natura, id penitùs nescimus. Cum itaque nullo rationis lumine, aut ingenii acie Spiritus Cogitantis naturam detegere valeamus, liceat saltem effectus ipsius, officium, & genuinum usum quanta possumus solertia indagare, ut mutuum Corpus inter & animam commercium clariùs explicemus.

*Si non natura Animæ, saltem usus describendus est.*

Advertere tamen obiter liceat, quòd cùm Spiritus nullas supponatur habere partes, molem, aut magnitudinem, nullo unquam loco aut ambiente concava superficie circumscribi posse censetur, sed alicui Mundi puncto immobili & indivisili, quod mente concipitur, ita intimè præsens esse potest, ut nulli alii Mundi puncto in eodem tempore respondeat.

ſpondeat. *Locus itaque Spiritus erit tantùm ipſius præſentia.* Multiplex autem non poteſt eſſe ipſius in eodem tempore præſentia. Uti enim hic ſuprà dixi mus quòd una eademque materiæ particula indiviſa, & cum eadem mole non poteſt eſſe in duobus locis in eodem inſtanti, ſic quoque idem *indiviſilis Spiritus* nullatenus poteſt eſſe extra ſe poſitus, aut à ſeipſo remotus in pluribus locis in eodem momento. Affirmare enim quòd meus Spiritus ſit Londini, & Vienæ in eodem tempore, idem eſt ac dicere quod neq; Vienæ eſt neq; Londini. Vienæ enim eſſe non poteſt, quia hic ſupponitur eſſe Londini. Londini pari ratione non exiſtit, quia Vienæ in eodem inſtanti eſſe ſupponitur; aut ſi in utroque loco in eodem tempore exiſteret, foret dubio procul duo Spiritus, & haberet duas liberas & forſan contrarias cogitationes in eodem tempore. Hic enim Spiritus Londini (ſæviente nunc Francorum bello) libere poſſet cogitare de bello gerendo, & alter Vienæ de ſanciendâ pace. Unus autem idemque Spiritus non poteſt unquam eſſe duo Spiritus, nec poteſt unquam habere niſi unam ſemel cogitationem, & non poteſt cogitare niſi de unica tantum re in eodem temporis inſtanti; ac proinde

*Art.* 15.

Anima non poteſt eſſe in duobus locis in eodem tempore.

Anima non poteſt habere duas ſimul cogitationes.

*Art.* 15. fieri non potest quòd de duabus rebus oppositis in eodem momento cogitet. Nec proderit dicere, quòd dum hic de Viena cogito, hic & Vienæ sit mea cogitatio; aliud enim est cogitare de Viena, & aliud cogitare Vienæ; aliter enim si nunc de Bello Punico cogitarem, cogitatio mea nunc existeret, & eadem extitisse deberet tempore Hannibalis.

Duplex est in nobis vita, vita Hominis & vita Corporis humani.

Ut itaque jam tandem *Animæ rationalis* in humano Corpore effectus & Officium ritè detegamus, *duplicem in nobis vitam observare priùs oportebit, vitam nempe hominis, & vitam Corporis humani. Vita hominis est mutuus influxus Spiritûs cogitantis in Corpus, & Corporis in Spiritum*; cujus influxus beneficio sensus perficitur, & motus voluntarius. *Vita* autem *Corporis est motus involuntarius Cordis, respirationis, nec non fluidorum perennis circuitus.* Omnes hujusmodi motus vitales spontanos à Spiritu humano, qui anima perperam vocitari solet, produci, hactenus creditum est.

Anima non potest esse tota in toto Corpore & in qualibet Corporis parte.

Existimarunt enim quòd hic *Spiritus cogitans*, ut suas operationes efficaciùs perficeret, fuisset totus in toto Corpore, & totus in qualibet Corporis parte. Jam autem demonstravimus quòd Spiritus non potest esse in duobus locis,

cis, nec propriè in ullo loco; ac proinde non poteſt eſſe totus in qualibet Corporis parte; forent enim totidem *Spiritus*, ſeu, ut malunt, *Animæ* quot ſunt Corporis partes. Uni igitur Corporis parti, calloſæ nempe cerebri medullæ, ſeu origini nervorum præſens eſt Spiritus hicce rationis judex. Nobis enim ipſis conſcii, videmus, quòd neque Pes, neque Manus, neque Cor, neque Os, Naſus, Oculus, neque Auris, neque ullum aliud Organum cogitat, ſed in nobis verè ſentimus quòd Cogitationes noſtræ, perceptiones, memoria, ſomnia, deliria, reliquæque Animi Operationes cerebro inſunt.

*Art.* 15.

Anima in ſolo cerebro ſita eſt.

Nunc igitur perpendamus utrum Spiritus hicce cerebri meditullio ſic inſitus, *Anima Hominis*, vel *Corporis humani*, vel utriuſque *Anima* dici ritè mereatur: Humani quidem Corporis Animæ officium aut munus præſtare nullatenus poteſt: concedunt enim omnes quòd quicquid hicce Spiritus præſtat, ſua cogitatione, & ex libero ſuæ voluntatis arbitrio peragit. Quot autem, amabò, motus in Corpore noſtro ſine ullo Animæ imperio ex neceſſitate quadam mechanica peraguntur. In ipſo ſomno, nedum cogitante, multò minus

Anima rationalis non animat Corpus.

*Art.* 15. imperante Anima, cibi sponte sua in Ventriculo eliquantur. Chylus formicante τῶν ἐντέρων motu per vasa lactea ad Cor propellitur, & in Sanguinem convertitur; Cor ipsum perenni & æquali motu cietur; Pulmones jugi respiratione dilatantur; Sanguis debito fermentationis conflictu atteritur & circulatur; Spiritus Animales in debita copia in corticalibus cerebri filtris secreti, per nervorum canaliculos distribuuntur. Brevi, omnes vitales motus in alto sopore ritè perficiuntur. Porrò, dum etiam vigilamus, motum Cordis, respirationis, pulsum, & alios naturales motus ex imperio Animæ neque accelerare, neque retardare, multò minùs supprimere valemus. Cum igitur non tantùm invitâ, sed etiam nedum conciâ Anim â *vita Corporis* propagatur, indicium est sanè luculentum quòd nutui vel imperio *Spiritûs cogitantis* nullatenus subjicitur; sed à mechanica organorum structura, & fluidorum motu unicè conservatur. Omnes enim iidem motus vitales in Brutis sine ullo Spiritu cogitante perficiuntur. Tenellum quoque Embryonis humani Corpus in utero Matris vivit, antequam Anima ipsi cœlitùs immissa est; quia non nisi post quos-

Anima rationalis non est causa motuum vitalium in visceribus.

Vera Corporis vita.

quosdam à conceptione menses ipsi infunditur; & tamen ipsum per hocce tempus vixisse patet, quia Cordis, seu *puncti salientis*, & Sanguinis motus vigebat. Præterea, si infans sine artubus cum capite tantùm & trunco nasceretur, cæcus, surdus, mutus, & in tota cute paralyticus, modo Cordis motus & respiratio supersint, vita fruetur, etiamsi *Anima rationalis* nullas exercere videatur functiones. *Art.* 15.

Cum nuper Anno 1694. Varsaviæ in aula Johannis Sobiesci defuncti jam Regis Poloniæ aliquandiu versatus fuerim, in nemoribus ad Lithuaniæ & Russiæ confinia sitis à venantibus Sylvicolis captus fuit inter gregem ursorum juvenis Sylvaticus, decem circiter annos natus, aspectu horridus, & pilis hirsutus; qui neque rationis, neque loquelæ, imò neque vocis humanæ usu gaudebat: pedibus & manibus instar quadrupedis incedebat: nihil cum homine commune habebat præter externam nudi Corporis figuram. Cum autem vultu saltem hominem imitaretur, lavacri fonte fuit initiatus; & à brutorum grege semotus, humanæ societatis ipsum primò tædere videbatur; inquietus enim, anxius, & ad fugam propensus erat, Stupendus casus in Polonia.

*Art.* 15. quasi in carcere seipsum detineri crediderit: Donec, levatis contra murum manibus, pedibus tandem stare, uti infantes vel catuli solent, edoctus, & dapibus humanis paulatim assuefactus, post longum tempus cicuratur; & verba quædam raucâ & inhumanâ voce proferre incepit. Interrogatus autem de Sylvestris vitæ cursu non magis recordatus erat, quàm nos meminimus eorum, quæ acta sunt, quando in incunabulis vagivimus. Rex ipse, Plurimi Senatores, & multi horum locorum fidedigni Indigenæ, mihi certò asseruerunt, & publica est & indubitata fama in tota Polonia, quòd nonnunquam infantes ab ursis aluntur. Dicunt enim quòd si infans ante fores, vel prope sepem, vel in agro ab incautis parentibus relictus à famelico urso in vicinia pascua sumente corriperetur, in frustula statim discerptus devoratur; si verò à lactante ursa captatus fuerit, ad ursile vehitur, & inter ursulos, tanquam inter germanos fraterculos, materno quodam amore porrectis uberibus nutritur; & post aliquot annos à venantibus rusticis aliquando capitur; uti anno 1669. casus alter huic nostro similis contigit, quem tunc temporis Varsaviæ se vidisse

Puer inter ursos altus & captus.

mihi

mihi hic Londini jam asserit Excellentissimus Vir Joannes Petrus van den Brande Dominus de Cleverskerk ad Aulam nostram nunc Legatus Batavus. Quem casum fusiùs describam in tractatu de Regimine Regni Poloniæ quem brevi in lucem sum in vernaculo nostro sermone editurus. *Art.* 15.

Nunc quæso cui usui inserviebat Spiritus huic homini vitam inter ursos degenti inditus. Nullo rationis exercitio ipsum gaudere constat, quia sui miseri status foret conscius, & ad humanum consortium fugeret, aut saltem inter homines degens, non foret pristinæ sylvestris vitæ cupidus. Hinc arguere fas est quòd hominis sylvatici vita aut anima non fuerit ipsius Spiritus, sed quod more Infantis recèns nati, more apoplectici hominis vel dormientis, & more brutorum vita ipsius à spontaneo Cordis, & intestino fluidorum motu unicè dependebat. Neque alia verè est in humano Corpore anima præter illam quæ ipsi communis est cum reliquis animantibus, imò forsan & cum plantis; *Animantia enim sunt progressiva quædam vegetantia. Anima igitur*, seu *vita Corporis humani est involuntarius solidarum & fluidarum partium motus.* Qui motus Quid vita.

*Art.* 15. non à *Spiritu cogitante*, ſed à mutuo utrorumque influxu procedit. Solidæ enim partes à *fluidis* ſeu à Sanguine, & nerveo fluido moventur; Sanguis viciſſim & Spiritus animales à Cordis, aliorumque Organorum impulſu in motum cientur vitalem. Qui motus turbatus, auctus nempe nimis, vel diminutus, morbus vocatur; ſuppreſſus autem penitus, *Mors* ritè nuncupatur. Non ideò igitur vivit Corpus, quia ipſi cœlitùs demiſſus eſt Spiritus cogitans, neque ideo moritur, quia eadem ſubſtantia cogitans ab ipſo recedit; ſed ideo vivit, quia partes ſolidæ ſponte ſua & juxta neceſſarias Naturæ Leges, ſine ullo *Animæ* imperio, à fluidis, & fluida viciſſim à ſolidis moventur: Et ideo extinguitur, quia utrorumque motus à veneno, morbo interno, vulnere, aut aliquo caſu externo ſupprimitur. Quo ſemel ſuppreſſo *Spiritus cogitans* ſuas operationes perficere ampliùs non poteſt, ac proinde ab exanimi cadavere, ruptis quaſi carceris repagulis recedit. Neceſſum quoque maximè erat, ut vita noſtra ex libero fragilis & ventoſæ voluntatis arbitrio non dependeat, ne præ timore aliquando, ira, furore aliove violento Animi affectu, vitales

Quid morbus.

Quid Mors.

tales Cordis & Sanguinis motus mentis imperio supprimere vellemus, mortemque nobismet ipsis ferocientes inferamus. Sicque *statutas Naturæ Leges* in nostra foret potentia pro arbitrio violare. Quare providus Rerum Conditor pro nostra tutela longæ melius statuit, ut vita Corporis ab ipso Corporis motu, non verò ab inconstanti vindicis voluntatis nutu dependeat. *Art.* 15.

Non ideo creatus est homo ut vivat, sed ut vivus in reliqua non tantùm animantia, sed etiam, quòd longè difficilius est, in seipsum imperium exerceat; & ut sui Authoris imperio & legibus sese totum subjiciat. Bruta omnia ex sola materia in plurimas machinulas & elateres disposita componuntur. Homo verò solus non tantum ex materia, sed etiam ex Spiritu, & materia in Organicas quoque texturas formata coalescit. Quoniam itaque jam demonstravi quod materia Hominis seu Corpus ipsius vitam non mutuatur ab influentia *Animæ cogitantis*, sed à proprio & insito motu, operæ pretium videtur hic ulteriùs investigare quinam verè sit *Animæ rationalis* in humano Corpore usus & Officium.

Duplex

*Art.* 15. Duplex eſt in nobis *Spiritus* cogitantis uſus, *primus, ut ſit ſenſûs Author*; *alter, ut ſit liberi motus arbiter*; ut inquam ideas habeat & conceptus de ſuo Corpore, & de omnibus ambientibus corporibus tam nocivis quam ſalubribus; & ut Corpus in motum agat, ut noxia Corpora fugiat, & proficua amplectatur; ut, brevi, Corpus noſtrum juxta rationis normam gubernet & conſervet. Nunc itaque obiter videamus quomodo juxta *Oeconomiæ Animalis* Leges ſenſus & motus perficiuntur.

Duo ſunt uſus Animæ in Corpore Humano.

Tria ſunt inſtrumenta Animæ.

Ut Spiritus rationalis Corpora externa percipiat, ſuumque Corpus liberè moveat, *tres illi ſubſerviunt miniſtri, Spiritus* nempe *Animales, quinque ſenſuum Organa, & Muſculi qui habent Antagoniſtas.* Cor enim, Diaphragma, Muſculi Reſpirationis, & cæteri, qui non habent Antagoniſtas, imperio Spiritûs non ſubjiciuntur. Spiritus Animales & quinque Organa ſimul, ſoli ſenſui ſunt deſtinata. Spiritus animales & Muſculi motui voluntario inſerviunt. Spiritus animales aërei ſunt & inviſilis quædam aura vitalis, qui in Cerebri glandulis à Sanguine ſecernuntur, & per nerveos canaliculos per totum Corpus motum & ſenſum largituri

diſpen-

dispensantur,& sese habent seduli instar & officiosi nuncii inter Animam, quinque Organa, & Musculos. Animæ enim denunciant, quæ aguntur in Organis; & in Musculis excitant motus quos imperat Anima. Duo autem hic nobis præcipuè incumbit inquirere, *quomodo nempe primò Spiritus animales subministrant animæ ideas Corporum externorum*, quæ vel sono suo nervos aurium feriunt, vel colore & lumine Nervos Opticos percutiunt, vel odore Nervos nasales Membranæ pituitariæ vibrant, vel sapore nerveas linguæ papillulas titillant aut vellicant, vel contactu Nervos cutis premunt. Et *secundò, qua Lege iidem Spiritus animales ita nutui Animæ subjiciantur*, ut juxta conceptas rerum ideas voluntarios in Musculis motus ex mentis arbitrio producant. *Art.* 15.

Prolixum nimis hic foret abditam Spirituum animalium Naturam, diversam quinque Organorum structuram, & genuinam Musculorum texturam describere. Quare satis erit obiter observare, quòd quinque Organa & Musculi omnes, præter Cor, innumeras nervulorum propagines à cerebro recipiunt; quòd per eosdem nervulos continuo depluunt roris instar à cerebro insensiles

*Art.* 15. insensiles Spirituum animalium rivuli, sensûs in Organis, & motûs in Musculis parentes. Ut itaque sensatio fiat, Spiritus animales ab Organo sensorio ad cerebrum refluere debent, ut illuc objecti externi imaginem animæ advehant; ut autem motus peragatur, iidem Spiritus animales à cerebro cursu contrario ad musculos in majori, quàm sponte sua solent, copia, ex animæ imperio mandari debent. Nunc igitur breviter videamus qua mechanismi lege sensus & motus in nobis producuntur.

Quomodo fit sensatio in quinque *Organis.*

Sensatio, *primò*, seu *objecti perceptio*, necessaria quadam *Motûs* Lege in quinque Sensuum Organis perficitur. Quoad *Auditum*; *Sonus*, seu aër undulationes quadam vibratus, ab *Aure externa*, tanquam à concava quadam concha collectus, in *Tympanum* irruit, illudque retrò pellit: Tympanum autem sic retrò pulsum appensa ossicula, *malleum* nempe, *incudem*, *stapedem*, & *Os Orbiculare* retrorsùm contra nervulum auditorium ponè in *labyrintho* & *ductibus semicircularibus* ad vestibulum *fenestræ ovalis & rotundæ* situm, urget, eundemque premit, quam pressionem sequitur perceptio soni. Quoad *Visionem*; colores,

Auditus.

Visio.

lores, seu radii luminis ab objecto reflexi membranam oculi corneam, aqueum, crystallinum, & vitreum humorem refracti permeant, donec ad *retinam*, seu nervum opticum in fundo Oculi situm perveniunt, illumque leviter concutiunt & premunt; hæc pressio visionis causa est. Quoad *Olfactum*, ab odoriferis Corporibus salina exhalant miasmata, quæ nerveas naris fibrillas irritant, & comprimunt, cujus compressionis effectus est Olfactus seu perceptio Odoris. Salia quoque vel salina Corporum principia lanuginosos nervulorum lingualium villos pungendo & comprimendo saporem ad cerebrum transmittuunt. Corpora quoque cutaneos nervos premendo, soliditatem suam vel fluiditatem, asperitatem vel lævitatem, calorem vel frigus, figuram, aliasque sensiles qualitates Animo repræsentant. Omnes igitur *Sensationes* fiunt à nervorum contactu & compressione, hoc *modo*: omnes nervi canaliculo exilissimo pervii sunt, per quem tubulum Spiritus Animales ad omnes Corporis partes jugiter vehunt. Quando igitur aliquis nervus comprimitur, meatus ipsius coarctatur, vel penitus occluditur; unde *Spiritus Animales* à cerebro defluentes per coarctatum

*Art.* 15.

Olfactus.

Gustus.

Tactus.

Modus sensationis.

*Art.* 15. tum ductulum iter pergere non possunt, ac proinde undulatione quadam refluere coguntur, & in cerebrum quodammodo respui, ibique sui nervi originem concutientes Animam eorum, quæ in Organo acta sunt, certiorem & consciam efficiunt.

Textura Musculi.

Motus quoque *Muscularis* necessario causarum mechanismo producitur. Omnis nempe musculus multis staminibus seu fibrillis cavis constat; omnes hæ fibræ si non in tota sua longitudine, saltem versus medium laxæ, raræ & dilatabiles sunt; per cavitatem cujusque fibræ sanguis jugiter affluens circulatur; & ad quamlibet fibram fluidum nervorum à cerebro continuò depluit per appensos nervos. Unde fibræ omnes Musculares Sanguine & Spiritibus semper turgidæ, tensæ sunt, & quasi contractæ; contractis autem pari virium robore fibris antagonistis, pars cui affiguntur, uti malus nautica oppositis rudentibus distracta, flecti, extendi, aut aliquaversus moveri non poterit, sed in constanti quodam contractionis æquilibrio immota retinebitur. Si autem jussu Animæ major fluidi nervei copia à cerebro demittatur ad unum musculum quàm ad alium, ad extensorem nempe

Quomodo fit motus Muscularis.

muscu-

musculum, quàm ad flexorem, extensor geminato contractionis impetu renitentiam antagonistæ superabit, & partem extendet. *Art.* 15.

Hucusque igitur quanta potui brevitate perpendi quantum quinque Organa, Musculi, & Spiritus Animales internuncii, sensationi, & motui musculari producendis conferunt. Clarè enim patet, quòd compressis nervis, fluitantes in ipsis Spiritus Animales ad cerebrum refluere coguntur; & quòd demissis iisdem Spiritibus à Cerebro in majori quantitate ad unum musculum quàm ad alium, musculus qui iisdem est magis saturatus & turgidus partem appensam ad se contrahere debet. Quomodo autem Spiritus Animales Corporei ad cerebrum refluentes, rerum corporearum imagines *Animæ cogitanti incorporeæ* communicant, & quomodo eadem Anima cogitans ex voluntatis suæ arbitrio Animales Spiritus ad unum musculum potiùs quàm ad alium in majori copia determinet, neque experimentis Chymicis, aut Anatomicis, neque ex ullo *Medicinæ* aut Rationis principio, neque ulla *Spiritûs* cum *Corpore*, aut *Corporis* cum *Spiritu* affinitate, neque ex efficaci ulla alterutrius virtute,

Imperium Animæ in Corpus, & influxus Corporis in Animam.

*Art.* 15. te, neque ex ulla prorsus *Naturæ* vel *Motûs Lege* mechanicâ deducere possumus.

Ad solam igitur Supremi Numinis potentiam & voluntatem recurrere necesse est, ut non tantùm motum à Corpore in Corpus transmissum, sed etiam mutuum *Animæ* in Corpus, & Corporis in Animam influxum explicemus. Statuere itaque meritò licet, quòd quoniam Deus *Animam Corpori*, diversas naturâ substantias, connubio quodam simul associavit, *Leges* quasdam, & quasi *pacta conventa* inter utrumque sancivit, quibus *æterno sui decreti sigillo munitis*, in sese mutuo operarentur, uti ex statutis *Motûs* Legibus Corpora omnia reciproco quodam impulsu sese movent. Leges autem Animam inter & Corpus stabilitæ, duæ tantùm hæ recenseri possunt.

Nimirum quòd

1°. *Juxta peculiares in Humano Corpore Motus, peculiares in Anima excitabuntur ideæ.*

Et

Et quòd

2°. *Juxta diversas Animæ Cogitationes, & Affectus, peculiares in Corpore motus vicissim producentur.*

Hi autem reciproci affectus & effectus ab Anima ipsa, aut à Corpore, verè non producuntur, sed ab *Illo* solùm qui Leges has inter utrumque pepegit. Illius enim solius est Legum tenorem conservare, & Legum mandata exequi, qui *Leges* condidit; ac proinde Supremus Legislator non erit duntaxat *Motus Corporum* & effectuum eorundem causa unica, sed etiam Cogitationum Animæ, saltem primigeniarum, Perceptionum, & Sensationum omnium immediatus Author. Primæ, inquam, Rerum Ideæ, nobis ad præsentiam Rerum ipsarum per quinque sensuum Organa cælitùs infusæ sunt. Quando enim primò vidi Elephantem, Anima mea non potuit esse hujus visionis causa, quia sic Anima, cùm libero semper agat arbitrio, Elephantem aperto oculo posset non vidisse; motus quoque *fluidi nervei*, aut ipsorum oculi nervorum *vibratio* non potuit in Anima mea primam Elephantis

Uti Deus est Motus immediata causa, sic & Cogitationis est unicus Author.

*Art.* 15. imaginem natura ſua verè depingere, quia cùm motus unius Corporis, ut ſupra innui, non poteſt eſſe vera cauſa cur aliud Corpus moveatur, multò minùs motus fluidi Corporei in re incorporea effectus ullos producet. Unde ſequitur quòd motus Spirituum Animalium eſt tantùm *Occaſio* cur Anima Cogitet; & Voluntas Animæ eſt tantum *Occaſio* cur Corpus humanum, aut aliqua ipſius Muſculea pars à ſupremo *Motûs* Authore juxta ſtatutæ Legis tenorem in motum liberè cieatur.

Quamvis autem Spiritus noſter *primarias Rerum Ideas* ſibi ipſi, inſita quavis vi, aut virtute propria, formare non valeat, ſed illas tantùm ex *ſtatuta Lege* aliunde advenas paſſiva recipiat; *receptas tamen ſemel ideas ſimul aſſociare, à ſe disjungere, in Rationis formam illas connectere, unam ideam ex alia inferre, unum velle, aliud nolle, hanc propoſitionem admittere, illam rejicere, aliaſque complexas Animi operationes, juxta, imo aliquando contra, rectæ Rationis principia,* nunc ſibi conſonus, nunc inter æſtuoſas *Cogitationum* procellas ſibi diſſonus & quaſi naufragus cum *libero Voluntatis exercitio* producere poteſt.

ARTIC.

## ARTIC. XVI.

### *De Statu Animæ super naturam.*

EXtra præfixos Instituti, imo Ingenii mei limites foret, de *Animâ* ab extincto Corpore separatâ sermonem habere. Quare de cælesti ejusdem, vivo adhuc Corpori unitæ, supra *Unionis* suæ *Leges* elevatæ statu, propositæ Methodi Ratio hic tantùm tractare postulat. Cùm itaque Corporum status super naturam, & *Animæ Cogitantis* statum secundùm naturam quantâ potui perspicaciâ & brevitate illustrare tentaverim; congruum quoque erit *Miraculosos Animæ Status* pari rationis scrutinio in Operis complementum explorare; ut uterque *Materiæ & Spiritûs* status innotescat, & immensa summi Conditoris potentia pleniùs elucescat. *Art.* 16. Miracula Animæ.

Hic superiùs observavi sedulò, quòd sicuti Motus Corpori, sic Cogitatio Animæ inditur; Atque ita quoniam Corpus quodvis ex alterius irruentis Corporis occasione movetur; Anima pari-

*Art.* 16. ter ex Objectorum externorum quinque sensuum Organa ferientium, & sui imagine afficientium præsenti occasione cogitabit. Cogitabit igitur Anima de iis tantum objectis, aut saltem ea tantùm objecta clarâ Mente concipiet, quæ Sensûs Organa percutiunt. Sola autem Corpora Sensuum Organa feriunt; ac proinde sola Corpora, non verò Spiritus, claram sui imaginem seu ideam per Sensuum nervulos ad commune Cerebri Sensorium transmittent, & Animæ impriment. Potest quidem Anima de multis Rebus cogitare, imò potest certior esse de multarum Rerum existentia; quarum Naturam, utpote abditam, penitùs ignorat, imò non potest non ignorare. Nihil autem perspicuè concipere potest, nisi quod mole sua, utcunque exigua, aut materiæ contactu Sensuum Organa immediatè afficit. Unde quò diutiùs Sensus nostri Objectis externis assuefacti fuerunt, eò luculentiori *Conceptuum* seu *Idearum* numero & serie sapiemus. Quare mirum non est quòd Infantes recèns nati nullos habeant, aut saltem paucissimos *Rerum Conceptus:* Senes verò innumeris Ideis sint cogitabundi. Hæ autem Ideæ non exhibentur Animæ ex innata ulla aut insita

Anima nostra non nisi sola Corpora verè concipit.

sita Organis virtute, sed ex sancitis, quas suprà recensui, Sensus inter & Animam Legibus. Nunc igitur videamus utrum eversо vel suspenso harum *Legum* ordine, status Animæ super naturam concipere valeamus. *Art.* 16.

Dubitandum non est quin Deus, uti *Motûs Leges*, sic quoque Animæ & Corporis Leges, quas ipse liberè stabilivit, pro arbitrio, & prout necessitas postulabit, suspendere valeat. Suspensis autem semel his Legibus, æquè clarè miraculosi Animæ status explicabuntur, ac status ipsius secundùm naturam juxtas statutas jam ipsius Leges explicari possunt. Cùm autem hæ Leges præcipuè sint quòd affectus Corporis animo advehantur, Affectus Animi in Corpus influant, & quod Cogitationes Animi ab Organis Sensuum dependeant; suspensa duplici modo harum Legum virtute & tenore patebit,

Quòd,

1°. *Anima poterit cogitare sine ulla facta in Organis Sensuum impressione.* Leges Animæ duplici modo suspenduntur.

*Art.* 16.

Et quòd

2°. *Factâ in Organis Sensuum Impressione, Anima poterit non cogitare.*

Quoad primam suspensæ Legis Regulam obvium cuique patet, quòd quoniam Anima, ut suprà probavi, objecta externa non percipit ex efficaci ulla aut insita ipsorum virtute, sed quia ex eorundem præsentium, & Sensûs Organa ferientium *Occasione*, ut in Corporum motu diximus, supremus Motor solâ voluntatis suæ efficaciâ objectorum imagines passivæ menti immediate infundit; poterit summus Opifex, uti unum Corpus movere potest sine occasione alterius Corporis impellentis, sine ulla objectorum impressione, imò nè quidem eorundem præsentia, *Rerum Species* Animæ repræsentare.

Unde planè sequitur quòd [a] Homo quivis sine ullo studio, sine ullis præceptis, & sine ullo prorsus Animi labore, poterit, etiam post [b] ortum rerum adhuc omnium penitùs ignarus, clario-

ri

ri longè ingenii lumine multò plura scire, quàm nos innumeris experimentis, fervido rationis scrutinio, diuturno cum hominibus commercio, & continuis lucubrationibus post longam annorum seriem & experientiam addiscimus. Nec tantùm veram, uti in se est, *Rerum* [c] *Naturam & Esse* clarâ mente ipse concipere, sed etiam eandem aliis sub aptis diversorum sonorum seu [d] linguarum vocabulis exprimere poterit. Poterit quoque non tantùm immutabilem Rerum *Essentiam*, sed etiam mutabiles fluxilium & caducarum Rerum [e] *Effectus*, & dubios [f] *Eventus* in veraci & apertâ mentis areâ insculptos, & tanquam in fido speculo sine larvâ aut fuco expressos cernere. Ex eadem Lege poterit quæ ante multa sæcula evenerunt certò [g] dijudicare, & quæ post multa sæcula eventura sunt, certo vaticinio [h] prædicere. Ex eadem *Suspensa Lege* latentem [i] somniorum, aliarumque [k] Mysticarum Rerum Sensum cæco caliginis velo obductum explicare, & in apertam lucem proferre valebit. [l] Spectrorum, Lemurum, aliorumque Umbratilium Phantasmatωn Imagines Mentis aciei objici possunt contemplandæ, etsi sen-

*Art.* 16.

Miracula primæ Legis suspensæ.

*Art.* 16. ſuum Organa verè non afficiant. Brevi omnes *Rerum* [m] *Conceptus*, qui officioſo quinque ſenſuum Miniſterio juxta *Statutas Unionis Leges* paulatim inſtillantur, ſine ullo prorſus ſenſuum auxilio ſuſpenſis iiſdem Legibus à Supremo Legiſlatore ſubitò infundi poſſunt.

Quoad ſecundæ Legis ſuſpenſionem patet, quòd uti Anima poterit objectorum Imagines perſentire ſine ullâ factâ in Organis ſenſuum impreſſione; ſic factâ in iiſdem impreſſione poterit pari ratione nihil percipere. Unde ſequitur quòd, etſi toto Corpore ſim ſanus, & nullo ſomno, veterno, aut Apoplexia correptus, poſſem in clarâ meridie [n] adſtantes Homines, aut aliud [o] obvium Corpus apertis Oculis non videre; etſi Aër Tormentorum bellicorum tonitruis totus perſonet, poſſem nihil audire; etiamſi Corpus meum unguibus, hamis, forcipibus dilanietur, etſi ſpinas, aciculas, clavos acutiſſimos manibus tractarem, & manum in aquam fervidiſſimam, in *Aquas Stygias*, imò in medias ardentiſſimas flammas comburendam immitterem, poſſem, quaſi in *Extaſi* vel *Catalepſi*, mente captus [p] nihil

Miracula ſecundæ Legis ſuſpenſæ.

hil omninò persentire. Cum enim, ut jam supra innui, *Spiritus noster cogitans* objecta non percipiat ex eo verè quòd Sensuum Organa percutiant, sed quia ex occasione hujus percussionis in Organis factæ summus ipse Archetypus in Anima ideam eorundem excitare dignatur, poterit, suspenso aliquandiu voluntatis suæ decreto, nullam *ideam*, aut saltem non nisi peculiarem, Animæ infundere: Etiamsi mille objectis omnia Corporis Organa in eodem tempore afficiantur. Nec hoc ita stupendum est cum ex summa Animi rei alicui applicatione, homines aliquando sine sensu & motu, membris rigidi, apertis oculis, tanquam vivæ statuæ, in Càtalapsim incidant; uti Philiatro cuidam, dum monspelii moratus fuerim, ex nimio studio contigit, cujus Affectum *catalepticum* in Tractatu meo de *Antris Lethiferis* obiter recensui. Certum enim est, quòd, cùm Anima non potest ullatenus cogitare nisi de unica tantum re in eodem temporis instanti, si de hac unica re summa cum attentione cogitaret, non poterit ullatenus aliorum objectorum Organa ferientium imagines in eodem momento percipere. *Art.* 16.

In

*Art.* 16. In angusto hujus Opusculi gyro quantâ potui brevitate & solertiâ conatus sum, utrumque *Materiæ & Spiritûs*, seu Corporis & Animæ, statum, *Naturalem* nempe *& super Naturam*, non observare duntaxat, sed etiam quanto potui ingenii Acumine concipere, & ad *Vigentes, vel suspensas Legum Motûs Regulas* aptè reducere; ut pateat, quantum vera Medicinæ Principia, firmis Experientiæ & Rationis fundamentis, *Chymiæ*, inquam, & *Anatomiæ*, tanquam duplici fulcro innitentia, non tantùm abditis Rerum naturalium Causis detegendis, verùm etiam miraculosis Causarum Supernaturalium Effectibus illustrandis inservire valent. Mihi autem non vacat, nec convenit, ulteriùs progredi; meum enim non est *Motûs Leges cum Morum Legibus comparare*; nec quantum *illæ his* confirmandis conferunt indagare. Quare, quæ de Naturali & Miraculoso Rerum Statu hactenus proposui, maturo Eruditiorum judicio émendanda subjicio; nec non probis & sagacibus *Rerum Sacrarum* Præconibus Fidei Mysteriis, patefacto itinere, applicanda relinquo

linquo. Uti enim *Ipsi* conservandæ Animæ Saluti totos se consecrant, sic *Ego* restaurandæ tantùm Corporis Humani Valetudini totum me devoveo.

---

FINIS.

---

Loc

Pag.

Loca hæc ex *Bibliis* collecta in *Appendicis* modum hic ſubjungi volui, ut ad *Notas* per totum Librum paſſim diſperſas, ſuo quæque ordine, apte referantur.

| Pag. | | |
|---|---|---|
| 2 | a | ROm. 2 14, 15. |
| | b | Exod. 20. 2 Tim. 3. 15, 16, 17. |
| | c | Gal, 1. 11, 12, 1 Cor. 11. 23. |
| | | Matt. 28. 19. 19, 20. 1 Cor. 9. 16. |
| 3 | e, g | Marc. 16. 20. Heb. 2. 4. |
| | f, g | Heb. 12. 18, 19, &c. Exod. 19. 20. |
| 4 | h | Luc. 24. 37, 39. |
| 11 | a | 1 Theſſ. 5. 23. |
| 62 | a | Pſalm. 72. 18. |
| | b | Joan. 3. 2. 9. 30, 32, 33, 10. 21. |
| 63 | c | Act. 15. 12. |
| 69 | a, b | Gen. 1. |

Gen.

| Pag. | | |
|---|---|---|
| | c | Gen. 5. 24. 2 Reg. 2. 11. Marc. 16, 19. Act. 1. 9. |
| 70 | d | Matt. 27. 51. |
| | e | Exod. 14. 21, 22. |
| | f | Gen. 7. 11. |
| | g | Exod. 10. 21, |
| | h | Matt. 27. 52. |
| 71 | i | Joh. 20. 19. |
| | k | Joh. 11. 39, 44. |
| | l | 2 Reg. 5. 14, 27. |
| | m | Luc. 7. 22. Matt. 15. 30, 31. Act. 8. 7. |
| | n | |
| | o | |
| | p | |
| | q | |
| 72 | r | Luc. 1. 20, 22. Act. 8. 18. |
| | s | Num. 16. 46. |
| | t | Lev. 13. 3. |
| 73 | u | Luc. 22. 44. |
| 77 | x | Joh. 2. 9. |
| | y | Exod. 7. 20. |
| | z | Joh. 6. |
| | 1 | 2 Reg. 4. 4, 5. |
| | 2 | Exod. 7. 10. |
| | 3 | Exod. 8. 16. |
| | 4 | Gen. 2. 7. |
| | 5 | Gen. 19. 26. |
| 82 | a | Dan. 6. 22. |
| | b | Joh. 1. 17. |

Dan.

| Pag. | | |
|---|---|---|
| 83 | c | Dan. 3. |
| | d | Exod. 3. 3. |
| 84 | e | Exod. 34. 28. |
| 85 | f | |
| | g | |
| 87 | a | Jos. 3. 16. |
| 88 | b | Jos. 10. 13. |
| | c | Act. 5. |
| | d | Exod. 14. 22. |
| 89 | e | Matt. 14. 25. 29. |
| | f | 2 Reg. 6. 6. |
| 91 | g | Act. 1. 9. |
| | h | |
| | i | |
| 107 | a | Matt. 1. 18. |
| 109 | b | Luc. 2. 6. |
| 113 | a | Gen. 2. 7. |
| 123 | b | Gen. 2. 21, 22. |
| | c | |
| 124 | d | Gen. 1. 12, 120. |
| | e | |
| 125 | a | Matt. 28. 6. |
| 128 | b | Matt. 27. 52. |
| 130 | c | |
| 137 | d | 1 Cor. 15. 42, &c. |
| 155 | e | |
| 159 | f | |
| | g | |
| 168 | a | Gen. 2. 22. |

Exod.

| Pag. | | |
|---|---|---|
| 198 | a | Exod. 35. à v. 30. ad fin. cap. |
| | b | 2 Genes. 19. 20. |
| 199 | c d | 1 Reg. 4. à v. 28. ad fin. Marc. 16. 17. Act. 2. à v. 4. ad v. 12. Act. 19. 5. 1 Cor 12. à v. 4. ad v. 12. |
| | e f | 2 Reg. 6. à v. 8. ad 13. |
| | g | 2 Tim. 3. 16. |
| | h | Is. 44. 28. Dan cap. 7. 8, 9, 10, 11. Joel 2. 28. Act. 2. 17, 18. |
| | i | Gen. cap. 37. 40, 41. Num. 12. 6. 1 Reg. 3. 5. Dan. cap. 2. & 4. Matt. 1. 20. Joel 2. 28. Act. 2. 17, 18. |
| | k | Dan. 5. 25, &c. |
| | l | Act. 10. à v. 10. ad 18. Act. 22. 17, 18. |
| 200 | m | Joh. 14. 26. Act. 9. 1 Cor. 12. 9. Heb. 11. Matt. 17. 20. Gen. 22. Exod. 3. 20. 1 Reg. 19. 12. Matt. 3. 17. 9. 35. Joh. 12. 28. Act. 9. 7, 10. 2 Pet. 1. 17. |
| | n o | 2 Reg. 6. 18, &c. |
| | p | Dan. 3. |
| 201 | q | Luc. 24. 16. |

FINIS.

Nobili Viro

# D. EDVARDO SOUTHWEL

Cl. ROBERTI SOUTHWEL,

Equitis Aurati, ſæpius antehac Societatis Regiæ *Lond.* Præſidis,

FILIO, Ejuſdem Societatis SOCIO;

Tentamen ſuum Epiſtolare

# De Secretione Animali,

BERNARDUS CONNOR.

TIBI, Vir ornate, notum ſatis eſt, quod inter varias corporis noſtri Partes vix ulla occurrunt Organa, quorum textura & munia ancipites Eruditiorum animos magis torqueant, quam *Glandulæ*. Quoniam itaque plurimi varia, & pauci vera de illis judicia protulerunt, liceat mihi hic, Vir meritiſ-

ſime, Tibi, tanti Parentis veſtigia ſequenti, in meæ erga Te, Patremque, obſervantiæ teſtimonium, quanta poſſum brevitate, proponere, quid de glandularum uſu, & de humorum Secretione, poſt diuturniorem indaginem veriſimillimum videtur.

Quid vita & quomodo conſervatur.

Corporis Humani *vita eſt mutuus Partium ſolidarum in fluidas, & fluidarum in ſolidas partes influxus*; qui influxus a jugi ſanguinis circuitu & *fermentatione* reliquorumque humorum motu conſervatur. Sanguis ipſe à cordis, tanquam ab hydraulicæ machinæ, motu, in orbem agitatur, & agitatus motorem ſuum in motum viciſſim concitat. Fermentatio ſanguinis ab inteſtino principiorum ejuſdem certamine fovetur. Ex perenni autem hacce particularum ſanguinis lucta & conflictu, Elementa ejuſdem, ſalina præſertim, atteruntur nimis, & eorundem paulatim abraduntur anguli, donec *fermentationi* tandem & calori vitali fovendo inepta redduntur. Quare novæ indies & diſſimiles particulæ ab ingeſtis alimentis in ventriculo extractæ admiſceri debent. Ne autem à diutúrno *Chyli* acceſſu vaſa ſanguifera nimis turgeant, aut diſrumpantur, ſanguinis ramenta, ſeu effœta cor-

Neceſſariæ ſunt glandulæ in corpo e humano.

corpuſcula à ſanguine ſecedere debent, ut adventanti *Chylo*, & *fermentationem* inituro, locum cedant; unde innumeræ hinc inde per totum corpus diffuſæ ſunt *Glandulæ* ſeu filtra, in quibus debellati hujuſmodi & vappeſcentes latices ſecernuntur, hinc foras extra corpus confeſtim amandandi. Uti in Renibus copioſa *Urina*, in Glandulis cutis milliaribus *Sudor* & *tranſpirationis materia*, in utero *menſtrua*, necnon in Teſticulis *fermentum Viri ſeminale*, filtrantur. Nec tantum excrementitii, ſed etiam utiles humores e ſanguine, in ſanguinem redituri, colantur. In *Glandulis* oculorum *Innominatis* Lachrymæ, in membrana naſi pituitaria mucus narium, in Parotidibus & buccarum glandulis ſaliva, in ventriculo fermentaceus ſuccus, in Hepate bilis, in Pancreate & Glandulis Inteſtinorum Lymphaticus liquor, cribrantur. Qui omnes humores cum Chylo ad ſanguinem, tanquam ad primi, ex quo orti ſunt, Parentis gremium revertuntur. In variis Corporis partibus pellucidus quidam liquor, qui *Lympha* vocitari ſolet, ſecernitur, ad ſanguinem pariter redituru s. In glanduloſo Cerebri Cortice, & in Medulla Spinali, tenuiſſimum & inviſibile

**Diverſi ſucci qui in glandulis ſecernuntur.**

fluidum percolatur, per nervos ad sanguinem, ex quo derivatur, refluxurum, quod *Spiritus Animales* vulgo nuncupari solet.

Coccinei igitur Laticis massa, Oceani instar, qui varios rivulos per ambagiosos *Telluris* meatus ad superficiem ejusdem emittit, eosdemque denuo peracto circulo in suum sinum ebibit, diversos Humores in plurimis colatoriis deponit, eosdem rursus in sui Torrentis gremium absorpturus. Quamvis tamen omnia hæcce fluida ex eodem fonte, nempe ex purpurea massa sint oriunda, natura tamen longe diversa sunt; *Bilis* enim à *Lympha*, *Urina* à *Semine*, *Spiritus* Animales à saliva, Sudor à Lachrymis, Cerumen aurium ab humore Pericardii & ab Adipe, non tantum juxta sensuum testimonium & scrutinium, sed etiam juxta rationis indaginem, in muniis & usibus longe discrepare videntur. Hic autem animus est quanta possum solertia breviter investigare, quomodo fit filtratio Humorum in glandulis, & quomodo diversi Humores in diversis Colis secernuntur; quod ut rite peragatur, Glandularum structura prius erit obiter delineanda.

Secreti humores natura diversi sunt.

Plu-

Plurimi hactenus existimarunt quod *Glandulæ* nihil aliud *fuerint* quam *venæ, arteriæ, nervi, & alia vascula in nodum vel glomum complicata.* Hæc autem Opinio non tantum nullo experimento fulcitur, sed etiam *filtrationis* naturæ repugnat. *Filtratio enim est peculiaris cujusdam Fluidi* à *sanguine per Glandulas, quasi per cribra, Secretio.* Concipi autem non potest, quod vasa, quæ sanguinem vehunt, utut contorta, ipsa eadem aliquem liquorem à sanguine separent. Sanguis enim ab arteriolæ pilosæ extremo, per mediam *intercapedinem*, in hians adstantis venulæ ostiolum transmissus, nihil sui, aut à se, deponere potest, nisi quamdiu adhuc in arteriola fluit, vel dum in venula glisscit, vel quando ab extremo unius in osculum alterius per medium intervallum præterlabitur. Nullus autem Humor à sanguine adhuc in arteriola contento, aut à venula absorpto, secerni potest. Unde in solo interjacente spaciolo percolari debet. Ibidem quoque filtrari non potest, nisi bibulum & cribriforme occurrat colum seu Glandula, per cujus hiantes porulos transire valeat. Innumeræ igitur Glandularum, seu vesicularum, ut vult *Cl. Malpighius*, multis

Glandulæ non sunt vasa complicata.

Quid filtratio.

tis foraminulis perviarum Myriades, per totam passim Corporis Humanii machinam disseminatæ reperiuntur. Quædam *conglobatis acinis* haud dissimiles, cavarum Partium parietibus *solitariæ* adhærent; uti observari potest in membrana Narium *pituitaria*, in membrana internas fauces & tracheam arteriam investiente, in œsophago, in tunica villosa Ventriculi, Intestinorum, in Utero, in basi Cordis, in Cute pro sudore filtrando, & in Carne musculosa pro secernenda lympha. Aliæ vero Glandulæ in cumulum *conglomeratæ* sunt, & pluribus surculis uni caudici insertis racemorum instar implantatæ adhærent. Uti *Cortex Cerebri*, *meditullium Medullæ Spinalis*, *Glandula Pituitaria*, *Glandulæ Lachrymales*, *Parotides*, *Tyroides Glandulæ*, *Amygdalæ faucium*, *Thymus*, *Hepar*, *Pancreas*, *Renes*, *Testes*, *Glandulæ inguinales*, *Axillares*, *Mesentericæ Asellii*, & *Renes Succenturiati*. Omnes Glandulæ extus convexæ sunt, intus concavæ & vesiculares præter Testes; qui soli, ut mihi Romæ, memini, innuit paulo ante obitum sagacissimus Glandularum Scrutator *Malpighius*, vasculares, tubulosi, & in tota longitudine, tibiæ instar musicæ, perforati sunt; ut

Glandulæ conglobatæ & conglomeratæ

ut ſeminale Viri fermentum in contortis hiſce, & quaſi ſerpentinis ductibus rectius elaboratum, grande Generationis opus efficacius moliatur.

Unaquæque igitur *Glandula eſt membranula cava foraminulis pertuſa*, arteria, vena, nervo, & excretorio vaſculo ſtipata. Ab arteria ſanguinem recipit, non tantum ut nutriatur, ſed etiam ut à ſanguine per foraminulas, cribri inſtar, peculiarem quendam ſuccum ſecernat, & per excretorium ductulum ad deſtinatum locum amandet; Vena reſiduum ſanguinem ad cor revehit, nervus autem ſpirituoſum fluidum à cerebro advehit, qui foraminularum Sphincteres, ſeu circulares pororum fibrillas ſubiens, eoſdem ad debitum tonum contrahit & anguſtiam, ut proprius humor non tantum in ea, in qua par eſt, quantitate, ſed etiam ut ſine aliorum liquorum conſortio à cruore impermixtus, ſecernatur. Si enim præ Spirituum Animalium inopia laxata nimis ſint Glandularum oſtiola, filtrandus ſuccus purus non erit, ſed aliis fluidis comitatus inquinabitur; unde effœtus evadet, & deſtinato uſui minus idoneus. Uti in teneris infantibus, & in vietis ſenibus obſervare licet;

Quid Glandula.

Uſus ſpirituum animalium in glandulis.

Quare infantes & ſenes debiles ſunt.

cet; quibus, præ virium, ſeu fluidi nervei defectu, Glandularum fores nimis apertæ ſunt & tenſiles; unde ſerum & reliqui ſanguinis liquores cum ſecernendo ſucco promiſcue præterfluent; ſicque omnia corporis infantilis & ſenilis fermenta longe debiliora erunt, & multo ſegnius operabuntur, quam fermenta juvenum; qui vividiori ſanguinis motu incaleſcunt, & uberiori Spirituum Animalium proventu luxuriant. Hinc digeſtio, motus progreſſivus, & reliqua corporis atq; animi munia in ſenibus paulatim elangueſcunt, donec laxata tandem, & enervata colatoriorum compage, ſanguis neq; laudabili *Chylo* reparatus, neq; debita filtratione depuratus, vappeſcit: indies; & ceſſante demum ipſius circuitu & fermentatione, mors naturalis, nullis forſan aliunde morbis accelerata, ſponte ſua furtim obrepit, & vitæ terminum præcludit.

Ætas caduca & mors naturalis.

Quilibet itaq; acinus glanduloſus à circumeunte ſanguine peculiarem ſuccum per apertas *laminulæ interioris* foraminulas in cavitatem ſuam exugit; quem hinc aliorſum per appenſum & hiantem canaliculum tranſmittit; canaliculi autem ab omnibus *Glandulæ conglomeratæ*

*glomeratæ* globulis cavis & cribrosis, tanquam totidem radiculi, in unum truncum abeunt, ut sese fortius sustineant, & ut *Acinos glandulosos*, qui aliunde fluxiles forent, in constanti situ alligatos, frænulorum instar, cohibeant. Ubi autem tubuli hujusmodi excretorii strictius sibi cohærent, & transversis aut decussantibus staminibus carneis, & contractilibus, tanquam in retiformibus intervallis, implicantur, & corroborantur; textura Glandulæ firmior longe & robustior erit; hinc est quod Renes Hepate, Parotides Testibus, Pancreas, Thymus, & reliquæ Glandulæ lymphaticæ glandulosa Cerebri substantia compactiora sunt.

Textura Glandularum.

Ex his itaq; clare percipitur quomodo Humores à sanguine per glandosa hujusmodi filtra secernuntur; mirum enim non est quod, appellente ad bibulos Glandularum porulos sanguine, Humores quidam per eosdem, tanquam per setaceum, aut per manicam Hippocratis, transcolentur. Stupendum autem videbitur, quod peculiaris quidam humor in qualibet glandula constanter filtretur, quod, inquam, Bilis in solo semper Jecore, Urina in Renibus, Semen in Testibus, Lympha

Quomodo fit filtratio.

Quomodo peculiaris humor in qualibet glandula secernitur.

 in

in Glandulis Lymphaticis, Spiritus Animales in Cerebro tantum, & reliqui Humores in proprio quisq; loco seorsim impermixti secernantur. Mirum censebitur quod Urina, seu *Serum sanguinis*, quæ fluida maxime est, per Hepatis acinos non transeat, cum easdem Bilis, quæ crassior longe est, pervadat. Quare Lympha, quæ tenuis satis est & limpida, vasculares Testiculorum Glandulas non permeet, cum spermaticus succus, qui viscosus est & consistentia crassus in iisdem filtretur; & quare Spiritus Animales, his omnibus longe tenuiores, per Glandulas Salivales, Stomachicas, Intestinales, Nasales, & reliqua totius Corporis filtra pleno alveo non separentur, cum ipsi invisiles per insensiles Corticis Cerebri glandulas & nervulos fluant. Ut itaq; nubilam harum Difficultatum caliginem novo quodam Rationis & Experientiæ lumine abigere valeam, aliorum Sententias circa easdem prius hic obiter recensere necessum est.

An sint fermenta in glandulis.

Plurimi asseruerunt *Anatomici*, cum aliàs rem explicare non valuerint, quod in omnibus Corporis Glandulis diversa hospitantur fermenta; quorum beneficio quælibet Glandula peculiarem secernit

cernit Humorem. Verum, amabo, ubinam ſitum erit hoc fermentum? An in cavitate Glandulæ, vel in foraminulis ejuſdem? In foraminulis dubio-procul non cenſebitur habitare, quiâ vel eaſdem obturaret, & tranſituro humori aditum præcluderet, vel appellentis humoris impulſui cedens, in cavitatem Glandulæ retro pelleretur; ſicq; Humor à tergo ſecuturus fermento deſtitueretur. Præterea undenam hocce fermentum præ Glandulæ foribus ſic adſtans procederet? Quo filtro à ſanguine ſepararetur? Non potuit à Glandula ipſa ſecerni, quia nondum cavitatem ipſius intravit; unde manifeſtum eſt quod in Glandulæ oſtiolis ſtare non poteſt hocce fermentum. Nec etiam in Glandulæ cavitate habitare poterit, quia ſic ſecretioni non inſerviret; foret enim à præterfluente ſanguine & ſecernendo latice remotum; & antequam filtrandus Humor latitans in Glandulæ cavitate fermentum attingeret, foret jam ſecretus; à ſanguine enim per oſtiola Glandulæ in cavitatem ejuſdem foret prius tranſmiſſus, ac proinde poſt ſecretionem foret inutile hocce Fermentum.

Fermentum non potest esse in cavitate ullius glandulæ.

Præterea in Glandulæ cavitate sistere se non potest hoc Fermentum, quia à Secreto jugiter humore in apertum vasis excretorii ductulum confestim volveretur; sicque liquor pone secernendus fermento privaretur. Porro, qua via fermentum ad cavitatem Glandulæ primum appulit? Per foraminulas respondebitur? Peculiare autem Fermentum non posset filtrari in una Glandula potius quàm in alia, juxta horum medicorum rationem, nisi aliud fermentum peculiare ibidem præextitisset, sicque Fermentum foret seipso prius, ac suæ foret Secretionis Fermentum.

Cæterum, si Fermentum Glandulæ cujusvis in porulis ipsius filtraretur, vel foret ejusdem naturæ cum Humore cui secernendo inservit, vel discrepantis prorsus indolis. Ejusdem naturæ nequit esse; quia Fermentum in Chymia à fermentando corpore ubiq; diversum est; nullum enim fermentum cum seipso fermentationem init, sed cum dissimili Corpore luctatur. Si vero diversæ indolis foret, diversi Humores per eosdem Glandulæ porulos transirent, quod ipsi *Fermenti Glandularis* Fautores asserere non audebunt. Unde plane sequitur quod decantatum

nunc

nunc in toto *Orbe Medico Secretionis Animalis Fermentum* neque Experimento ullo detegi, neque ratione concipi poteſt; cum neque ante Glandularum fores, neq; in Glandularum foraminulis, neq; in cavitate earundem filtrari, neq; reſidere valeat.

Alii igitur, ut Secretionem Animalem clarius explicent, non opus eſt, aſſerunt, ad Fermentum ullum in Glandulis latitans recurrere; ſed malunt ſecernendi liquoris & ſecernentis poruli conformes figuras ſtatuere; ſupponunt enim quod aliæ Glandularum foraminulæ triangulares ſunt, aliæ pentagonæ, aliæ polygonæ, & juxta multiplicem figurarum varietatem varios quoque Humores ſecernunt. Partes nempe ſanguinis triangulares per foraminulam trigonam, cubicæ per cubicam, quadrangulares per tetragonam, & reliquæ ſanguinis particulæ per eos Glandularum porulos, quibus figuræ eorundum adaptari poſſunt, percolantur. Sicque *Bilis* in *Hepate*, *Urina* in *Renibus*, *Lympha* in *Glandulis Lymphaticis*, *Fluidum Nerveum* in cinereo *Cerebri & Cerebelli Cortice*, & reliqua Corporis Fluida ex ſancita hacce particularum & porulorum inſenſilium affinitate

An conformis ſit figura porulorum & humoris in illis ſecernendi.

nitate & correſpondentia in propriis Colatoriis deponuntur.

Hæc pariter Opinio nullo Experimento confirmari, & nulla cum ratione conciliari poteſt; quin imo utriq; repugnare videtur. Obſervamus enim quod per quemlibet Glandulæ porulum omnes ſanguinis diverſarum figurarum particulæ permeant. Urina enim, Bilis, Saliva, Semen, Lympha, & reliqui Humores ex peculiari particularum, *Aquæ*, *Terræ*, *Salis*, & *Sulphuris* connubio ſub diverſa tamen proportione coaleſcunt; ac proinde quælibet Jecoris, Renis, & aliorum filtrorum vel minima conglobata Glandula particulas multiplici & diſcrepanti figura donatas ſecernit. Diſſimiles enim eſſe Terræ, Aquæ, Salis, & Sulphuris figuras diverſus eorundem Sapor, & diſcrepantes effectus apprime demonſtrant. Si reſpondeatur forſan quod Bilis, *v. g.* Elementa Terra nempe, Aqua, Sal, & Sulphur diverſis quidem figuris à ſe diſcrepant ſingula, unita tamen ſub certa & peculiari proportione in peculiarem abeunt figuram à ſingulorum figura diſcrepantem & Glandularum figuræ conformem. Verum hæc non arridebit reſponſio, quia quælibet Bilis molecula,

ex

ex Terræ, Aquæ, Salis, & Sulphuris proportione orta, fluida eſt, ac proinde in omnes figuras formari poteſt; atq; ita Bilis cum fluxilis ſit, non tantum foraminulis Glandularum Hepatis, ſed etiam porulorum aliarum omnium Glandularum figuris adaptari poterit. Unde promiſcua fieret omnium Humorum in qualibet Glandula ſine ullo diſcrimine Secretio. Præterea fit aliquando quod, obſtructo aliquo filtro glanduloſo, Humor per aliam Glandulam tranſit. Sic obſtructis in Nephritide Renibus Urinam ſæpe per ſtomachum & per os excretam obſervavi. Obſtructo Hepate Bilis flaveſcente colore Corporis habitum tingit; Melancholici, qui multum expuunt, paucam Urinam excernunt. Unde patet quod diſſimilis adeo non eſt diverſorum humorum & filtrorum figura, nec tam diſpar eorundem proportio, quin aliquando pro data occaſione ſibi adaptari valeant.

Cum igitur indubitatum ſit quod in diverſis Corporis Animantis ( imo Vegetantis ) colis diverſi ſucci ſecernantur, & cum hujus diſcrepantis ſecretionis cauſa ſupponi non poteſt fermentum ullum aut conformis Humoris

&

& Filtri figura, alia nobis excogitanda eſt ratio, cur tam conſtans & ſtupendus effectus producatur. Obſervare igitur liceat quod Fluidi alicujus Corporis Particulæ, ſi ſimilis ſint figuræ & ſuperficiei, ſibi aſſociari ambiunt. Sic fluxiles Mercurii globuli in plana ſuperficie rotati, quando ſibi occurrunt, ſeſe amplectuntur: Sic aqua per ſiccum pannum in globulis pariter aſperſa, panno non adhæret, ſed fluitat, & obviis aliis globulis ſeſe immiſcet. Sic Sal Cornu Cervi, Cranii Humani, Viperarum, aut alius ſal Animalium volatilis, ex ſpiritu eorundem in *Vaſis Sublimatoriis* igni impoſitis in altum elevatur, & concavo *Capitelli* vertici in ſicca forma affigitur. Sal quoq; cujuſvis mixti corporis fixus per lixivium extractus, facta aliqua decocti evaporatione ad parietes vaſis in aere frigido in peculiaris figuræ cryſtallos abit. Sic quando corroſivi ſanguinis noſtri ſales in aliqua corporis parte ſiſtere ſe, & nidulari cœperunt, uti in Gangrena, Carbunculo, Cancro mammarum videre eſt, reliqui virulenti ſales huc confluunt, & crudelius ferocientes tanto ægrotos tormine cruciant, ut ſi forte, amputata mamma

Similes figuræ ſimilibus gaudent figuris.

vel

vel parte Sphacelo corrosa, affluxus eorundem impediatur, in sanguine detenti, ad internos Corporis recessus non sine Vitæ periculo nonnunquam recurrunt. In Podagra acidi sanguinis sales ad articulos, iisdem antea aggravatos, à sanguine, in quo aliter forsan morbos foverent, exonerantur. In Febre maligna, aut in Peste, ferale sanguinis Fermentum ad applicatas cucurbitulas aut vesicatoria ex congeneris figuræ suæ similitudine amandatur. Et quemadmodum quædam particulæ sibi adjunguntur ex conformi superficiecularum figura, sic aliæ sibi, ex dispari earundem proportione, uti *Oleum Aquæ*, associari nullatenus possunt.

Cum itaq; experientia doceat quod consimiles Corporum figuræ eadem conjungant, & dissimiles eadem dissocient, & cum Humorum in diversis Corporis nostri filtris secretorum diversa sit indoles, ac proinde dissimilis particularum earundem figura, diversa earundum textura, & dispar omnino proportio, haud levis conjiciendi ansa offertur, quod *vera ratio cur bilis*, v. g. *in Hepate, aut alius quivis humor in sua potius Glandula quam in alia filtretur, non est quia similis est pori & humoris figura,*

Vera ratio cur humores peculiares in singulis Glandulis secernantur.

*ſed quia integrantes ſucci bilioſi Partes, ſeu moleculæ ex peculiari ſuorum Elementorum proportione, atque ex conſimili textura & figura ſibi ipſis facilius uniri poſſunt, quam moleculis Lymphæ, Urinæ, aut alterius liquoris*; ac proinde per glanduloſos Hepatis acinos, quoniam per ipſos primo poſt fœtus conceptionem in utero filtrari cœpit, ad Vitæ terminum cribrari perſeverabit.

Hoc illuſtrare facile eſt Experimento vulgari cum Oleo, Aqua, & Charta Chymicorum emporetica ſeu bibula celebrato. Oleum Aquæ limpidæ nullo ſale aculeatæ affundatur, & ſpatula, quantum poteſt, agitatum eidem intime admiſceatur. Si animus eſt Aquam ab Oleo ſeparare, ſumatur charta in aquam prius immerſa, & in hanc chartam vaſi impoſitam Oleum & Aqua affundantur; tota Aqua per chartæ porulos aqueis particulis jam repletos, relicto pone oleo, tranſibit. Si vero quis vellet Oleum prius ab Aqua ſecernere, charta in oleum immergatur; & nihil præter oleum per poros illius oleo prius gravidos percolari poterit. Eodem modo concipi facile poteſt quod omnes Corporis noſtri Glandulæ, etiam dum adhuc in exiguo puſilli germinis

minis gyro inclusæ sunt, peculiari liquore saturatæ consimiles tantum huic latici succos secernent. Sicque Cerebrum Animales tantum Spiritus, Renes urinam, Testes Fermentum seminale, Jecur bilem, Parotides Glandulæ salivam, Glandulæ cutis milliares sudorem, aliæ Glandulæ Lympham, singulæ demum, peculiari & diverso destinatæ officio, fluida utilia & noxia, ob conformes secreti jam, & jam à tergo statim secernendi *Fluidi* figuras, necnon ob parem Elementorum ejusdem proportionem, & contextum, à præterfluente Cruoris massa, tanquam ab inexhausto torrente, per totum Vitæ cursum jugiter percolabunt.

Si tamen fortasse purpurei torrentis massa peculiari aliquo liquore, uti urina, vel bile, nimis sit imprægnata & diluta, conformes hujusmodi moleculæ à luxuriante hocce latice ita à se invicem divulsæ erunt & remotæ, ut sibi immediate per filtrum succedere non valeant, sed aliæ redundantis succi interjacentes particulæ cum iisdem promiscue transibunt. Sic obstructis in *Nephritide* Renibus, & suppresso Urinæ profluvio, serum sanguinis per Ventriculi & Intestinorum Glandulas, aut per

Ratio cur Glandulæ aliquando alienos humores secernant.

alia Colatoria filtrabitur; unde *Vomitus*, vel *Alvi Fluxus* forſan ſequetur. Obſtructo Hepate, Bilis flavo *Icteri* colore Corporis habitum tingit. Suppreſſis menſtruis, ſputum cruentum per certas periodos aliquando recurrit. Obſtructis autem penitus Glandularum cavitatibus, vel excretoriis earundem ductibus, cavitas à ſtagnante vel retenta materia præter modum aliquando ampliabitur, & ad molem nonnunquam enormem extumebit; ut i Pariſiis olim obſervavi in Vidua quadam ex *immani Hypogaſtrii Sarcomate* mortua, in cujus Solo utero *Carneam Excreſcentiam* duas & quadraginta libras gravem reperi. Si vero materia in Glandularum cavitate detenta, fluida remaneat, *Hydatides*, ſeu *Cyſtides Veſiculares* liquore repletas efformabit. Si ſpiſſa fiat, Schirros producet. Si demum obſtructas Glandulas nutriat, & nutriendo paulatim diſtendat, Sarcomata creabit. Unde omnes Glandularum Tumores ad Hydatides, Schirros, & Sarcomata, tanquam ad tres tantum Claſſes reduci poſſunt.

Morbi glandularum ſunt Tumores tantum tres.

Si quis forte miraretur cur Spiritus ſaltem Animales, qui tenuiſſimi ſunt, & oculorum, imo mentis aciem fu-

Quare glandulæ non ſecernunt Spiritus Animales.

fugiunt, per omnes Glandulas ſine ullo diſcrimine cum reliquis fluidis non filtrentur, mirari deſinet, quando ſecum perpendet, quod omnes Glandularum foraminulæ ita ſuo, vel alieno liquore ſemper ſunt ſaturatæ & repletæ, quod ne quidem inviſili Spirituum Animalium auræ aditum largiri valeant; ac proinde in glanduloſo tantum Cerebri Cortice ſecerni poterunt. Etiamſi autem *aereum hocce Nervorum Fluidum* in ſolo Cerebro, & in appenſa Medulla Spinali pleno alveo filtretur, in aliqua tamen, ſed pauciori, copia cum reliquis Humoribus, in loculis eorundem & in Principiorum interſtitiis fluitantes, per omnes alias Glandulas pertranſeunt. Unde fit quod in majori, quam par eſt, Humorum excretione, in contumaciori *Vomitu*, in violentiori *Purgatione*, in Alvi *Fluxu* colliquante, in copioſo *Urinæ Profluvio*, in nimio *Sudore*, in diuturniori ſalivatione, in immodico *Fluore albo*, in immoderato *Menſtruorum Fluxu*, in Gonorrhœa tabida, ex nimio *Fluidi Nervei* & volatilium ſanguinis Principiorum diſpendio Vires elangueſcunt, &, non ſine Vitæ periculo, nonnunquam proſternuntur.

Quare nimiæ evacuationes debilitant.

*FINIS.*

# LECTORI Admonitio.

*HAsce duas, quæ sequuntur, Epistolas ex Anglico Idiomate ab eruditis D. G. B. & J. W. Studios.* Oxon. *in Latinum conversas huic Operi Appendere hisce de causis visum est. Quoniam scilicet isti, quæ mox subjicietur, novo* Oeconomiæ Animalis *Exemplari, tanquam fundamento, tota hujus Libri ratio innititur; & ut etiam Tabula isthæc, utpote compendiosa admodum, aliis, in Disquisitionibus suis habendis veluti norma præsto sit, quicunque hujusmodi posthac Exercitationes instituent.*

Epistola

# Epiſtola à Literato

Quodam *Cantabrigienſi* data ad

BERNARDUM CONNOR, M.D.

*Londin.* de Prælectionibus ſuis

*Chymicis* & *Anatomicis*

OXONII habitis Ann. 1695.

VIR DIGNISSIME,

QUanto cum applauſu, quantaque omnium comprobatione Anatomicas tuas, Chymicaſq; Prælectiones *Oxonii* nuper habuiſti, hic auditum eſt. Ut etiam vota omnium & animos expleviſti, cum nonnullas huiuſmodi Exercitationes Pariſiis aliquot abhinc annis inſtituiſti, ab oculatis quibuſdam teſtibus, qui & ipſi quoq; perſcrutandæ Naturæ non inanem dederunt operam, mihi inſuper innotuit; ex quo Te, quippe cui Germaniam, Ita-

Italiam, Poloniam, Belgiumque peragranti cum Malpighio, Bellino, Redo aliisq; celeberrimis ibi gentium Medicis familiaritas intercessit, recondita Medicæ Artis Arcana penitius indagasse nullus dubito. Illas etiam *Dissertationes* tuas *Medico-Physicas*, ubiq; referentes Autoris Ingenium, *Oxonii* nuper excusas *de Antris nempe Lethiferis, noxiis Exhalationibus, Venenis Subterraneis, De montis Vesuvii Incendio*, aliisque stupendis Naturæ Phænomenis summa cum delectatione perlegi. Hisce de causis mihimet ipse persuasi Te non modo *Chymiam Anatomiamq*; feliciter excoluisse, sed Rationem porro quandam excogitasse, qua potis es alios etiam has Artes multo citius, quam usu venire solet, edocere; quam mihi hac in parte persuasionem confirmarunt Amici cujusdam *Oxoniensis* Literæ. Non ipse quidem hic loci unicus is sum, cui maxime in votis est, ut aliquot saltem Menses apud nos etiam agas, modo continuæ tuæ hoc à Te impetrari sinant Occupationes: Turba mehercle sumus, qui nobismet, ut primum æstate jam nunc elapsa de tuo ab *Oxonio* discessu percrebuit fama, præpropere tuum ad nos adventum gratulabamur.

Cum

cum autem tua Te Praxis *Londini* occupatiorem habeat, quam ut pari beneficio Academiam quoque nostram obstringas, Schedulam saltem de instituta Exercitationum tuarum Methodo à Te exorare fas sit. Lubens etiam rescirem, siqui Te prælegentem audire cupiant, an Te *Londini* publicis hisce Studiis vacare sinant Res tuæ. Hanc à Te Gratiam plurimi petunt, at præ cæteris,

*Tui Observantissimus,*

*Cantabrigiæ,*
id. Octob.
1695.

C. P.

---

# CONNORI Responsio

In qua Novum suum

*Oeconomiæ Animalis*

Exemplar Exhibet.

QUicquid, Vir eximie, propter nimiam tuam in me Benevolentiam, in meas aut Libelli mei laudes prædicare libuit, id prorsus humanitati tuæ dandum est, nec aliud quicquam Tibi reponam quàm quod pro virili mea semper enitar ut non de ingrato bene meruisse videaris. Oxoniensi Amico tuo plurimum debeo, quod de me adeo honorifice loquutus est, & nullam usquam Academiam me magis humaniter accepisse gratissimo quidem animo fatendum est.

Ut vero non ea Te lateat Methodus, qua rerum harum cupidos ad interiorem Humanæ fabricæ, temperamen-

mentorum, morborumq; notitiam rite perducendos ſuſcepi, en! Tibi totius inſtituti rationem.

Hominem inprimis conſiderare libet, veluti quiddam à Spiritu & Materia compoſitum: cum autem circa hanc tantum verſetur Ars Medica, Corpus Humanum propius intueri viſum eſt, ejuſque fabricam ab aliorum Animantium conſtructione haud abſimilem eſſe expertus novi. Ut vero nihil prorſus Hominis nos fugiat, non ſolum examini ſubjicienda ſunt illa quibus extructus eſt Membra, ſed ipſa circum ubiq; corpora, quotquot eum quoquo modo afficiunt, aut quicquam ei conſervando ſubminiſtrant, accurate perſcrutanda ſunt. Cum igitur Animalia, Tellus, Aer, Planetæ, Sol & Stellæ ſint ſuo quæque modo ad vitam humanam oppido neceſſaria, in totum ideo Mundi Syſtema & Elementa, eaſque præſertim Qualitates, quæ Saluti humanæ officere vel prodeſſe poſſunt, penitius inquirendum eſt. Trium etiam mixtorum, Animalium nempe, Vegetantium & Mineralium, Natura diligentiſſime prius eſt excutienda, quam poterimus Generationis, Nutritionis, ſani morboſique ſtatus, & Mortis de-

mum causas aliqua saltem tenus investigare, aut, sic uti par est, explicare miram illam fabricam, Mechanicos Hydraulicosque motus, Præparationes Chymicas, aliaque non innumera minus quam stupenda Corporis Humani Phænomena.

Methodus igitur ea mihi videtur optima, quæ à prævia majoris Mundi disquisitione ad hujusce minoris examen analytice progreditur. Ut rite igitur hoc Opus ordiamur, per Experimenta Chymica Elementa rerum inprimis sunt indaganda, præsertim vero particularum istarum figuræ qualitatesque, quæ Corporum omnium mixtorum, & ipsius præcipue Sanguinis, sunt Principia. Medicorum hac in parte incuriam (nec adeo tamen alte latent isthæc Principia, ut erui nequeant) novos Philosophiæ Naturalis & Artis Medicæ progressus impediisse nemo inficias ibit. Hoc enim ita mihi persuasum est ac quod maxime, neminem usquam fore, modo rem secum recte perpenderit, omnesque corporum operationes ad Naturales tantum Causas absque Miraculorum ope retulerit, qui non mecum illico sentiet, posse nimirum morborum causas

atque

atque remedia non incaſſum ad examen vocari; adeoque protinus evaneſcet decantatum iſthoc Axioma, *Medicinæ* ſcilicet *nihil ineſſe Certitudinis.*

Etſi non adeo ſim amans mei, ut exiſtimem memet unum integram eam & perfectam omni ex parte Methodum excogitaſſe, quam apprime neceſſariam duco ad recludenda magis recondita Naturæ arcana; at ſperare tamen fas ſit *Tabulam* mox ſubjiciendam, juxta quam meas Oxonii Prælectiones inſtituebam non prorſus inutilem fore.

---

Nova

# Nova Tabula
## *Oeconomiæ Animalis*
### Demonstratæ

Oxonii primum, Ann. 1695, dein Londini, & tandem Cantabrigiæ Ann. 1696.

1. *De Elementis, Fabrica & Systemate Mundi, & de mutuo partium ejus nexu & dependentia.*

2. *De Corporum terrestrium Elementis, ubi (post Chymica quædam Experimenta) ad Examen vocantur Natura, Proprietates, Figuræ & Effectus Terræ, Aquæ, Salis & Sulphuris, uti & Animantium, Vegetabilium & Mineralium Ortus.*

3. *De Corporis Humani fabrica, ejusque in partes solidas & fluidas divisione, ubi de solidarum præcipue Partium Natura & contextu.*

4. *De Fluidis Corporis Humani Partibus; de Natura, Principiis, Fermentatione, & Circuitu Sanguinis, de Febre, de Nutritione;*

*tione; de Temperamentis; de variis Humoribus in Sanguine contentis; ubi etiam de Juventute, Senectute & Morte.*

5. *De Sanguinis reparatione; de Chylo, Vasis Lacteis & Ductu Chylifero; de Masticatione, Digestione, & Fermento Ventriculi; de Præcipitatione seu Separatione Excrementorum a Chylo; ubi de Oesophagi seu Gulæ, Ventriculi, & Intestinorum structura; de Motu Peristaltico & Antiperistaltico; de Glandulis; de Mesenterio; de Lympha, Vasisque Lymphaticis.*

6. *De Cordis Fabrica, Motu & Usu; ubi de variis Pulsuum generibus; de Polypo & Deliquio; Nova item affertur Hypothesis de Cordis Motu, & de Sanguificatione.*

7. *De Arteriæ Tracheæ, Pulmonumque structura; ubi de Respirationis Usu & Causa; de Pleuritide, Phthisi, Asthmate; Natura etiam Aeris, Nitri, & Spirituum Animalium, aliter quam hactenus, explicatur.*

8. *De Præcordiis seu Vasis Sanguiferis Cordi appensis; ubi de Venarum ac Arteriarum Structura, Motu, & Differentia.*

9. *De variis Venæ Portæ, & utriusque Cavæ, Propaginibus.*

10. *De utriusque Aortæ per totum Corpus propagatione.*

11. *De Cerebro & Cerebello; ubi de Generatione ac Motu Spirituum Animalium; de Perceptione, Somno, & Vigilia; de Deliriis, Mania, Phrenitide; de Animæ in Corpus Influxu & Effectu; ubi de Sensatione & quinque Sensuum Organis.*

12. *De Oculo, Lachrymis, Ductibus Aqueis & Nasalibus; de Visione, Luce, Coloribus, Cæcitate, & præsertim de peracuto quorundam Animantium Visu.*

13. *De Nasi Fabrica; de Membrana Pituitaria; de Muco, Olfactu, & Sternutatione; de mutuo Nasi & Linguæ Consensu.*

14. *De Lingua, Palato, & Gingivis; de Motu & Musculis Linguæ; de Gustu & Voce.*

15. *De Larynge, de Mutis, Pharynge, & Osse Hyoide; de Amygdalis, Salivatione & Saliva; de Parotidibus, Gargareone, siti, deglutitione, &c.*

16. *De Tactu, Cuticula, Cute, Pilis, Glandulis Milliaribus; de Corpore Reticulari & Mucoso; de Pinguedine, Transpiratione, Sudore, Scabie, &c.*

17. *De Aure, Aquæductu, Auditu, Surditate, &c.*

18. *De Fabrica, Numero, & Usu Nervorum; de Motu & Sensatione; de Pari Vago, & Nervis Intercostalibus per tota Pecto-*

*Pectoris & Abdominis Viscera diffusis.*

19. *De Structurâ, variisque Musculorum figuris; de Fibris Vascularibus; ubi de Motu Musculari, Naturali & Spontaneo; de Pandiculatione, Oscitatione, Saltatione, Natatione, & Volatu; de Motu Convulsivo, Tonico, Systaltico, Epileptico, &c.*

20. *De Hepate, Bile, & Pancreate; ubi de Bilis & succi Pancreatici Secretione, & Motu, eorundemque cum Chylo mixtione. De colico dolore.*

21. *De Glandularum omnium Naturâ & Differentiis; de variis Humorum, qui Excrementitii & Recrementitii nuncupantur, Filtrationibus.*

22. *De Lienis Usu & Structurâ; ubi de Melancholiâ, de obstructionibus, &c.*

23. *De Renibus, Glandulis Atrabilariis, Tubulis Urinariis & Vesicâ; ubi de Sero Sanguinis, de Urinæ Colore ejusque Contentis; de Calculo, Arenis, &c.*

24. *De Corporis Fulcris, sive de Ossium structura, Lamellis, Fibris, Cavitate, Medulla, de Ossificatione, de Apophysibus, de Ligamentis, Articulis, Podagra, Rheumatismo, Rachitide, &c.*

25. *De Partibus Viri Genitalibus; de Naturâ & formatione Seminis; ubi de*

*Effectibus ejus in Utero Muliebri, de Eunuchis, Gonorrhæa, Lue venerea, &c.*

26. *De Partibus Genitalibus Mulieris; de Ovis & Ovario; de Generatione, Conceptione, Prægnatione, Fluxu Menstruo, Partu, Monstris. Quomodo Mulier Lue venerea inficitur & inficit. De Sterilitate.*

27. *De situ, Nutritione & Involucris Embryonis in Utero; de Vasis Umbilicatibus, Secundinis, de Vi Materna Imaginationis, & de Modo peculiari Circuitûs Sanguinis in Fœtu.*

28. *Animadversa quædam de Animæ & Corporis Unione.*

In hâcce *Tabula*, Vir Erudite, post varias Mundi Partes suis quasque locis explicatas, ipsaque Corporum Principia ad Chymiæ examen vocata, Corpus denique Humanum in solidas fluidasque Partes distinctum vides. Priùs autem quàm solidas singulatim Partes perscrutarer; me neutiquam abs re facturum existimavi, si ope Chymiæ Humores omnes, præsertim verò Principia Motusque Sanguinis, qui quidem totius Corporis est quasi *Primum Mobile*, diligentiùs explorarem. Quam ob rem scire necessum est, quâ ratione cibus

Con-

concoctus in Chylum, & Chylus itidem in Sanguinem abit; quo etiam modo, Sangnine in Ossa & Carnem indurescente, perpetuis Alimentis reparanda sunt ejus dispendia; quo impetu Cor micat, assiduumque in Sanguine motum ciet, qua vi Sanguis iste è Corde mox expulsus, & Pulmonùm tandem Aëre rarefactus, per Arteriarum ductus in omnes Corporis partes derivatur, & ab iisdem ad Cor tanquam ad Vitæ fontem per Venarum denuò gyros recurrit. Ut autem pro certo habeamus quo Modo Sanguis in omnes Corporis partes usquequaque diffluit, quasque longo tandem Circuitu formas subit, ipsis oportet oculis variam omnium Corporis partium fabricam perlustrare, Sanguinisque ad Cerebrum usque Canales investigare, ubi Spiritus Animales eliciuntnr, qui jugi Motu Ideas, cerebro priùs impressas, Animæ subministrant, & inde per Nervos in omnia Corporis Membra sese dispergentes, in Musculis motum, in quinque Organis sensationem excitant, quibus ad Animam transfertur cujusvis externi Corporis Species. Hunc inde Sanguinem in Glandulas omnes insector, ubicunque superflui Humores exonerantur; in

Jecur, ubi Succus Biliosus secernitur; in Lienem, ubi motus ejus tantisper retardatur; in Renes, ubi Particulas quasdam serosas deponit; in Testes, per quos percolatur glutinosus quidam, & oleaceus Liquor, quem *Semen* cum vulgo nuncupare fas esto. At ipso tandem Homine satis perspecto, placuit accuratiùs expendere isthoc providæ Naturæ Artificium, quo speciem suam procreare solet, & alterum sui similem generare.

Homo, quod nunc iterum dico, è duabus Substantiis, Animâ scilicet, & Corpore, conflatur. Anima Rationis ope Corpus conservat, idemque per Motus Voluntarios dirigit. At Corpus vicissim Animæ subministrat Rerum Corporearum Ideas. Vita Hominis est Convenientia quædam, ac mutua Corporis Animæque Necessitudo. Vita verò Corporis est Naturalis Spirituum & Sanguinis Motus, quo paulatim deficiente Mors tandem obrepit. Quicquid habent vitæ motûsque solidiores Corporis Humani partes, totum hoc Sanguini & Spiritibus acceptum ferunt; nec sanè Sanguis & Spiritus ullum sibi motum proprio jure vindicant, nisi quem iis summus rerum Opifex juxta san-

ſancitas Naturæ Leges indidit. Ut verò conſervetur mutuum hoc Corporis Animæque commercium, omnes Corporis Humores & Organa rectè ſe habeant neceſſe eſt; non enim Animæ diſſociatio, quæ tamen opinio apud pleroſque invaluit, ſed everſa Organorum Humorumque Diſpoſitio Corpori mortem accerſit. Priùs enim moritur Corpus, quàm avolaverit Anima; cujus exceſſus non aliud quidquam eſt quàm intimi ſui mutuique cum Corpore conſortii diſſolutio, quippe quod omnis inibi Motus planè defecerit. Integram hanc Corporis habitudinem lædunt labefactantque Morbi, qui, Sanguini primùm inſiti, ſenſim in ſolidas ſeſe partes inſinuant, eæque contagio inquinatæ, novâ viciſſim peſte Sanguinem inficiunt. Etiamſi verò nihil unquam Contagii tibi Sanguinem polluat, nec ullis unquam morbis intabeſcas, nihilo tamen minus, Partibus tandem ſolidis à diuturno jugique Humorum circuitu relaxatis nimium, & attritis, (qui Corporis habitus ſibi *Senectutis* nomen aſciſcit) juxta Naturæ Leges moriendum eſt.

Non te latet, Vir Egregie, diffuſum hoc & ſublime Argumentum univerſam quodammodo Mundi molem complecti.

Nec

Nec te nescire vellem, esse mihi in animo, in Eruditorum eorum gratiam, quibus curæ sint Medicæ Disquisitiones hyeme jam instante publicas iterum *Prælectiones* hic Londini habere: in quibus, post prima Rerum Principia, secundum *Tabulæ* meæ Rationem, Chymicè investigata, Cultro deinde Anatomico totam Humani Corporis fabricam ipsis occulis subjiciam. Cave igitur expectes me in omnes singulatim partes hîc fusiûs expatiaturum. Fas sit hoc Operis missum facere, donec Res hasce novis Experimentis accuratiùs exploravero, ac tum forte Tibi quædam aut nondum, aut minus Observata in manus dabo, quæ Tibi oblectamentum, Arti Medicæ lucem forsan afferant, ad quam promovendam omnes perpetuò Nervos Curasque intendet

Lond. 4° Non. Nov. 1695. Tui Studiosissimus,

*Bernardus Connor.*

F I N I S.

---

Rerum

# Rerum Elenchus.

ART. I. *De Statu Corporis, præcipuè Organici, secundum Naturam,* p. 1.
Duæ Naturæ Leges, Leges Motûs & Morum, p. 2.
Natura Materiæ, p. 4.
Materiæ Species, p. 5.
Materia est solida, unde impenetrabilis, ibid
Quid Corpus Inorganicum, p. 6.
Quid Corpus Organicum, ibid.
Tres Corporis Humani Status, p. 8.

ART. II. *De Statu Corporis Humani secundum Naturam,* p. 11.
Tres Hominis partes, p. 11.
Spiritus non est Anima, ibid.
Animæ Natura & Officium, p. 12.
Corporis humani duæ partes, ibid.
Elementares Corporis Humani partes, p. 13.
Partes Organicæ, p. 14.
Textura Corporis Humani, ibid.
Partes fluidæ & Organicæ, p. 15.
Tres Motus Sanguinis, p. 16.
Digestio & Chylus, p. 17.
Chyli processus, p. 18.
Sanguificatio, ibid.
Usus Sanguinis, p. 19.
Circuitus Sanguinis, p. 20.

Secretio

Secretio Animalis, p.21.
Motus Muſcularis, p.23.
Structura Corporis Humani, p. 24.
Quid Sanitas, p.25.
Diverſi Corporis Humani Affectus, ibid.

ART. III. *De Statu Corporis Humani præter Naturam*, p 27.
Quid Sanitas, quid Morbus, p. 28.
Sedes Morborum, p.29.
Tres Morborum Claſſes, p.30.
Morbi Chirurgici, ibid.
Morbi Sanguinis, p.31.
Sanguis ſpiſſus, p.32.
Sanguis ſalſus, p.33.
Dolores unde, ibid.
Morbi Spirituum, p.34.

ART. IV. *De Statu Corporis Humani ſuper Naturam*, p.36.
Status ſupernaturalis Corporis, p.36.
Diſcrimen inter mixtum & mixti particulas, p.39
Effectus naturales verè ſupernaturales ſunt, & vice verſa, p.40.

ART. V. *De vigentibus Motus Legibus*, p.42.
De Naturâ Motûs, p.42.
Motus in ſe nihil eſt, p.45.
Motus diverſi à diverſis Corporum motorum conditionibus, p.47.
Nullæ ſunt veræ Cauſæ Naturales, p.49.

ART. VI. *De ſuſpenſis Motus Legibus*, p.52.
Leges Naturæ ſuſpendi poſſunt, p.52.
Duo Motus, p.54.
Motus ſolidi, ibid.

Motus

Motus fluidi, p.54.
Quid fermentatio, p. 55.
Modus Miraculorum inquirendus. ibid.
Tres Motûs Leges, p. 57.
Quid Miraculum, p. 58.
Vulgaris Miraculi definitio, p. 60.
Vera Miraculi Natura, p.62.
Tres Motûs Legum suspensiones, p.64.
Animadversio, p.66.

ART. VII. *De Prima Motus Lege suspensâ.* Ubi ostenditur quod Corpus moveri poterit sine occasione motûs alterius Corporis irruentis, p.68.
Tres modi primæ suspensionis, p.68.
Primus movendi modus, p.69.
Secundus movendi modus, p.70.
Sudor Sanguineus, p. 73.
Tertius movendi modus, p. 74.
Quælibet materiæ figura in omnes alias figuras potest mutari, p.75.
Conversio unius substantiæ in aliam secundum Naturam, p.78.
Alimenta acido redundant. ibid.
Aqua in terram conversa, p.79.

ART. VIII. *De secundâ Motûs Lege suspensa,* ubi probatur quod, datâ Corporis irruentis occasione, Corpus poterit non moveri, p.81.
Quomodo homo potest fieri invulnerabilis, p.81.
Feritas belluarum refrænata, p.82.
Potest flamma non comburere, p.83.
Quomodo quis potest vivere in æternum, p.84.

ART. IX. *De Tertiâ Motûs Lege suspensâ.* Ubi cernitur quod Corpus in motu positum, motum suum subitò deperdere poterit, non communicato eodem alteri Corpori ambienti, p. 87.

ART. X. *De Humani Corporis genesi ex Mare & Fœminâ,* p. 93.
Partes generationis Viri, p. 94.
Partes genitates fœminæ, p. 95.
Semen continet omnes partes, p. 96.
Quomodo generatio perficitur, ibid.
Punctum saliens est Cor, primum vivens ut ultimum moriens, p. 98.
Diversi ætatis gradus, p. 99.
Partus quomodo fit, p. 100.
Prærogativa Matrum præ Patribus, p. 104.
Fœminæ non sunt verè Matres sed Matrices, p. 106

ART. XI. *De Corporis Humani genesi ex Fœminâ sine Mare,* p. 107.
Quid generatio, p. 107.

ART. XII. *De Corporis Humani ortu sine Mare & Fœminâ,* p. 112.
Corporis Humani Analysis Chymica, p. 114.
Stupenda instrumenta humanâ arte confecta, p. 118.
Corpora stupendo Naturæ artificio constructa, p. 119.

ART.

## Rerum Elenchus.

ART. XIII. *De Humano Corpore redivivo,* p. 125.
Diverſæ mortis ſpecies, p. 125.
Diverſæ mortis cauſæ, p. 126.
Diverſi modi quibus mortui ad vitam poſſunt revocari, ibid.
Conditiones quæ requiruntur ut idem Homo reſurgat, p. 132.
Ut redivivus Homo ſit idem debet conſtrui ex iiſdem principiis, p. 134.
Figura diſtinguit Elementa, p. 135.
Corpus eſt pars hominis eſſentialis, p. 137.
Debet idem Corpus & eadem Anima uniri ut idem Homo reſurgat, p. 139.
Anima rationalis non eſt vita Corporis, p. 140.
An quodvis Corpus ſufficiat ut idem Homo renaſcatur? p. 142.
Partes ſolidæ Corporis non diſſipantur, p. 143.
Quomodo Homines ſenio vel morbis confecti emaciantur, p. 147.
Ut idem Corpus renaſcatur, non neceſſe eſt ut eadem Materiæ quantitas reſurgat, p. 148.
Anthropophagi, p. 149.
Corpora non reſurgent cum totâ illâ materiâ quâ moriuntur, p 151.
Quare creſcit Corpus in mole, p. 153.
Cum quâ mole renaſcemur, p 154.
Homo non reſurget cum omnibus partibus, p. 156.
Redivivus homo non manducabit, p. 157.
Redivivus Homo non reſpirabit, p. 158.

ART. XIV. *An multiplex poteſt eſſe Corporis Humani Præſentia,* p. 160.

ART. XV. *De Statu Animæ ſecundum Naturam,* p. 171.
Anima deſcribi non poteſt, p.172.
Anima rationalis eſt ſui generis Materia, p.173.
Anima non eſt Cogitatio, p. 174.
Anima ſemper non cogitat, ibid.
Animæ proprietas eſt Cogitatio, p.175.
Si non natura Animæ, ſaltem uſus deſcribendus eſt, p. 176.
Anima non poteſt eſſe in duobus locis in eodem tempore, p.177.
Anima non poteſt habere duas ſimul Cogitationes, ibid.
Duplex eſt in nobis vita, vita Hominis & vita Corporis humani, p.178.
Anima non poteſt eſſe tota in toto Corpore, & in qualibet Corporis parte, ibid.
Anima in ſolo Cerebro ſita eſt, p.179.
Anima Rationalis non eſt cauſa motuum vitalium in viſceribus, p.180.
Vera Corporis vita, ibid.
Stupendus caſus pueri inter urſos alti & capti in Polonia, p.181,182.
Quid vita, p.183.
Quid Mors, p.184.
Duo ſunt uſus Animæ Rationalis in Corpore humano, p.186.
Tria ſunt inſtrumenta Animæ, ibid.
Quomodo fit ſenſatio in quinque *Organis*, p.188.
Auditus, ibid.
Viſio, ibid.
Olfactus, p.189.
Guſtus, ibid.
Tactus, ibid.

Modus

Modus ſenſationis, p.189.
Textura Muſculi, p.190.
Quomodo ſit motus Muſcularis, ibid.
Imperium Animæ inCorpus, & influxus Corporis in Animam, p.192.
Uti Deus eſt Motûs immediata Cauſa, ſic & Cogitationis eſt unicus Author, p.194.
Liberum arbitrium Animæ in quo conſiſtit, p. 195.

ART. XVI. *De Statu Animæ ſecundum Naturam*, p.196.
Miracula Animæ, ibid.
Anima noſtra non niſi ſola Corpora verè concipit, p.197.
Leges Animæ duplici modo ſuſpenduntur, p.199.
Miracula primæ Legis ſuſpenſæ, p.200.
Miracula ſecundæ Legis ſuſpenſæ, p.201.

---

*De*

# Elenchus Alter.

*De Secretione Animali*, p.1.
Quid Vita, & quomodo conſervatur, p.2.
Neceſſariæ ſunt glandulæ in Corpore humano, ibid.
Diverſi ſucci qui in Glandulis ſecernuntur, p.3.
Secreti Humores natura diverſi ſunt, p.4.
Glandulæ non ſunt Vaſa complicata, p.5.
Quid filtratio, ibid.
Glandulæ conglobatæ & conglomeratæ, p.6.
Quid Glandula, p.7.
Uſus Spirituum Animalium in glandulis, ibid.
Quare Infantes & ſenes debiles ſunt, p.8.
Ætas caduca & Mors Naturalis, ibid.
Textura Glandularum, p.9.
Quomodo fit filtratio, ibid.
Quomodo peculiaris humor in qualibet glandula ſecernitur, ibid.
An ſint fermenta in Glandulis? p.10.
Fermentum non poteſt eſſe in cavitate ullius glandulæ, p.12.
An conformis ſit figura porulorum & humoris in illis ſecernendi, p.13.
Similes figuræ ſimilibus gaudent figuris, p.16.
Vera ratio cur humores peculiares in ſingulis glandulis ſecernantur, p.17.
Ratio cur glandulæ alienos humores ſecernant, p.19.

Morbi

## Elenchus Alter.

Morbi glandularum ſunt Tumores tantum tres, p.20.
Quare glandulæ non ſecernunt Spiritus Animales, ibid.
Quare nimiæ Evacuationes debilitant, p.21.

*Novum Oeconomiæ Animalis Exemplar*, p.24.
NOva Oeconomiæ Animalis Tabula, p.27.

---

FINIS.

---

## ERRATA.

PAg. 25. lin. 6. pro ſluidas lege fluidas. Ibid. l. 11. pro viciſſem l. viciſſim. p. 44. l. 21. pro ſpacio l. ſpatio. p. 48. l. 24. pro tanum l. tautum. p. 59. l. 23. pro cenſus l. ſenſus. p 70. l. 3. pro removeri l. diffindi. p. 82. l. 7. pro divellantur l. diſtrahantur. p. 83. in Not. Marg. pro combuere l. comburere. Ibid. l. ult. pro impetu l. impetûs. p. 95. l. 24. pro væſiculæ l. veſiculæ. p. 111. l. 111. pro effectum l. effectuum. p. 117. l. 19. pro perpendebit l. perpennerit. Ibid. l. 21. pro conſtuere l. conſtruere. p. 125. l. 2. pro indagere l. indagare. p. 133. l. 12. pro abeant l. abeat. Ibid. l. 14. pro convertantur l. convertatur. p. 138. l. 23. pro moriremur l. moreremur. p 139. l. 10. pro aut l. &c. p. 145. l. 6. pro principorum l. principiorum. p. 185. l. 7. pro longæ l. longè. p. 159. l. 4. pro juxra l. juxta.

In Epiſtolâ de *Secretione Auimali.*

PAg. 5. lin. 24. pro ſpaciolo lege ſpatiolo, p. 17. l. 25. pro earundum l. earundem.